



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae

Charlas, Antoine

Leodii, 1684

Liber Quartus De potestate Ecclesiae in temporalia Principum occasione
primae Propositionis Cleri Gallicani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38227

LIBER QUARTUS

De potestate Ecclesiæ in temporalia
Principum occasione primæ Pro-
positionis Cleri Gallicani ; scili-
cet

Beato Petro , ejusque Successoribus Christi Vi-
cariis , ipsiq; Ecclesiæ rerum spiritualium , &
ad æternam salutem pertinentium , non autem
civilium , ac temporalium à Deo traditam po-
testatem , dicente Domino , Regnum meum non
est de hoc Mundo , & iterum , Reddite ergo quæ sunt Cæ-
saris Cæsari , & quæ sunt Dei Deo. Ac proinde stare
Apostolicum illud , omnis anima potestatibus sublimiori-
bus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo. Quæ
autem sunt à Deo ordinata sunt. Itaque qui potestati re-
sistit , Dei ordinationi resistit. Reges , ergo , & Princi-
pes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati subjici
neque autoritate clavium Ecclesiæ directè , vel indirectè
deponi , aut illorum subditos eximi à fide atque obedi-
entia , ac præstito fidelitatis sacramento solvi posse , eam-
que sententiam publicæ tranquillitati necessariam , nec mi-
nùs Ecclesiæ , quàm Imperio utilem , ut verbo Dei , Pa-
trum traditioni , & Sanctorum exemplis consonam omni-
nò retinendam.

CAPUT PRIMUM.

An hæc Propositio spectet ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ.

1. Difficile intellectu est, qua ratione Illustrissimi Aristites Gallicani libertates Ecclesiæ illius Regni defendendas suscipientes à propositione auspicati sint, quæ Juri Ecclesiæ potius adversatur. Cùm olim, ut jam notavimus, Philippus IV. adversus Bonifacium VIII. contendere, Regnum Franciæ à summo Pontifice non pendere, libertatem quidem Regni tueri se profitebatur, non tamen libertatem Ecclesiæ, licet libertatis illius, qua Christus nos liberavit, se quoque participem esse affirmaret. Bonifacius autem libertatem Ecclesiæ adversus Regaliam, & ejus jura circa alia puncta propugnare se contendeat.

2. Petrum Pithœum in Senatu Parisiensi Advocatum in Tractatu de libertate Ecclesiæ Gallicanæ, qui primum in collectione Petri Puteani locum obtinet, imitati sunt. Hic enim singularia illarum libertatum Capita ad duo axiomata refert, quorum primum est, „summos Pontifices nihil præcipere, vel ordinare posse, sive in communi, sive in particulari circa temporalia quantum ad loca supremo Regis Christianissimi dominio supposita; ac si præcipiant, vel ordinent, Regis subditos, etiam Clericos, ad obediendum in his nequaquam teneri. Petro de Marca lib. 2. de Concord. cap. r. n. r. satis visum fuit, si secundum istud libertatum fundamentum poneret, *supremam, scilicet Regis Christianissimi per Gallias auctoritatem*; Illud tamen non minoris momenti esse duxit, quam primum, quod in *suprema Romana Ecclesiæ auctoritate constituit.*

3. Immutata fuit natura, vel idea libertatum Ecclesiæ Gallicanæ postremis his temporibus. Puto enim Clerum Gallicanum libertates suas defendisse (impugnasse certè nemo dixerit) cùm anno 1329. coram Philippo VI. Rege convenit, ut querelis Ministrorum Regiorum responderet. Tunc enim

M. C

de
libertatibus
ecclesiæ gallicanæ
CIII
731

Episcopi contendebant Ecclesiasticam Jurisdictionem sese ad temporalia extendere, saltem ratione peccati, quod pluribus probavit Electus Senonensis in prima responsione; Præterea, inquit, num. 34. nullus dubitat, quin COGNITIO DE PECCATO AD PERSONAS ECCLESIASTICAS PERTINEAT; Cum ergo talia non perpetrentur sine peccato alterius partis, patet, quod Ecclesia cognoscere potest, & hoc satis deducitur, extra de judiciis cap. novit.

4. Nullus rêvera de hoc dubitabat, quandoquidem Petrus de Cugneriis acrior Jurisdictionis Regiæ Patronus fatebatur Decretalem novit locum habere in Rege Franciæ, utpote superiorem non agnoscente, tantumque negabat de Judicibus Regiis, quippe qui à Rege corrigi possent; Item dicebat (in replica Petri de Cugneriis pro Rege) quod ratione peccati non poterat ad eos pertinere, quia Decretalis novit loquebatur de factò Regis Franciæ, qui superiorem non habet, sed in aliis dicebat secus.

5. Si conferantur Acta illius altercationis, quæ habentur in Bibliotheca Patrum tom. 13. & edita sunt anno 1664. post praxim Beneficiariam, & alia opera Petri Rebuffi, cum iis, quæ nuper gesta sunt à Clero Gallicano, maximum sanè discrimen observabitur: Nec video, quomodo hodiernæ libertates Ecclesiæ Gallicanæ antiquas non destruant. Dicent fortasse moderni Præsules, Antecessores suos propriæ potestatis terminos longiùs transtulisse in detrimentum Jurisdictionis Regiæ. Jurisdictionis ergò Regiæ, non libertatis Ecclesiasticæ partes se suscipere saltem profiteantur.

6. Sed aliæ hodie est Ecclesia Gallicana ab ea, quæ anno 1614. tam generosè restitit tertio Regni ordini propositionem hanc primam, aut certè simillimam statuere conanti. Nec enim egregia illa oratio à doctissimo Cardinali Peronio tunc habita ipsius erat propria. Illam quippe se totius „ Cleri, imò & nobilium Regni nomine pronunciare affirmabat; Non enim, inquit, ego hac in causa oro, sed „ totus ordo Ecclesiasticus, & totus ordo Nobilium ipsi „ conjunctus, &c.

7. Cæterùm doctrinam suam, idest propositioni moderatorum Antistitum contrariam, asserit omnibus Ecclesiæ Catholicæ Partibus esse communem, imò & toti Ecclesiæ Gallicanæ à tempore, quo institutæ sunt inibi scholæ Theologicæ

giæ usque ad Calvini adventum. Dignissima est illa oratio quæ legatur. In ea, ut inquit Petrus Frizon, Doctor Theologus Parisiensis, & in magna Franciæ Eleemolinaria Vicarius Generalis, in sua Gallia Purpurata, sapientissimè se gessit Autor, distinguens utramque potestatem, & spiritalem Ecclesiæ, & Regnorum temporalium, prudens ita ac modestus, ut privilegia Cleri defendendo de Regia nihil detraxeret maiestate, & autoritate, atque hanc asserens, Ecclesiastico Juri nihil etiam derogaret.

8. Eandem fuisse mentem Ecclesiæ Gallicanæ postremis etiam temporibus, & usque ad ultimum Cœtum manifestum inditium est, quod hæc oratio tanquam proprium Ecclesiæ Gallicanæ monumentum inserta est inter Acta Cleri Gallicani à Joanne le Gentil, qui ea edidit anno 1673. jussu Comitiorum generalium Cleri. Ego quidem tantam esse arbitror hujus orationis vim, ut nullâ aliâ ratione infringi queat, quàm quæ ab aliquo proposita dicitur, scilicet ut supprimatur, quod tamen difficillimum esset propter varia ejus exemplaria.

9. Distinctas esse potestates Regum, & Pontificum nemo Catholicus negat: sed major esset necessitas Regiam ad suos limites revocandi, quam Pontificiam intra suos concludendi. Confessi sunt in suo processu verbali Episcopi Parisiis anno 1681. congregati, extinctam propemodum esse in Gallia Jurisdictionem Ecclesiasticam. Novis indies vulneribus affligitur sæcularium Scriptorum libris, & Regionum Judicium placitis, & tamen libertates Ecclesiæ non opponuntur à Prælatibus; quin & illæ servitutes inter libertates numerantur à multis. Cùm autem Romanus Pontifex oppressis Ecclesiis manum porrigit, etiam ab Episcopis, objectis libertatibus arceatur.

M. C.

22
libertatibus
cleri Gallicani
CIII
731

CAPUT II.

An inuidiosa, & gravis Regibus, & populis fiat potestas Ecclesiastica, si circa temporalia Principum in certis casibus exerceri posse affirmetur.

X. Quantum Ecclesie ad conservandam fidem, propagandam Religionem, reformandos mores, & constituendam disciplinam utilis sit, & ferè necessaria Regum, ac Principum opera, & comprobavit omnium sæculorum experientia, & suadet aperta ratio. Verissimum est quod trito illo versu exprimitur:

Regis ad exemplum totus componitur Orbis.
Quamobrem magnoperè cavendum est, ne quid, sine gravi necessitate aut fiat, aut dicatur; quod Principum erga Ecclesiam studium possit remittere. Eà ratione adductos se fuisse ad statuendam hanc primam propositionem significant Illustriissimi Præsules his declarationis verbis, quæ huc sine dubio respiciunt; *Hæretici quoque nihil prætermittunt quo eam potestatem quæ pax Ecclesie continetur, invidiosam, & gravem Regibus, & populis ostentent, iisque fraudibus simplices animas ab Ecclesie Matris, Christi, adeo communionis dissocient.* Videndum est igitur, an doctrina eorum, qui Ecclesiam circa Regum, & Principum temporalia potestatem aliquam in certis casibus exercere posse asserunt, potestatem illam invidiosam, & gravem Regibus, & populis efficiat.

2. Malis certè non potest invidiosum non videri quidquid eorum pravis cupiditatibus obsistit: At boni licet suapte spontè ad virtutem ferantur, gaudent sibi pluribus obicibus viam ad crimen præcludi. Timent, aut etiam oderunt potestatem Ecclesiasticam Principes; illi scilicet, qui Ecclesiam non ut Matrem, cui parere velint, sed ut ancillam habent, cui dominari cupiant. Non oderunt, neque timent, qui Religionem Principatui, non Principatum Religioni anteponunt, qui ab Ecclesia fidem, ac vivendi normam accipere student, non ejus opibus ditari, libertatem infringere, ac jurisdictionem usurpare moluntur.

3. Qua in re gravissimam Regi Christianissimo injuriam fecisse mihi videntur Regni ejus Antistites, dum Ecclesiastica potestate Principes quantum ad temporalia omnino subtrahere tentarunt. Significaverunt enim aliquo pacto se suspicari, fore ut potentissimus ille Rex à fide Catholica, quam professi sunt, quotquot in eodem Throno à duodecim ferè sæculis federunt, brevi non solum esset ipse discessurus, sed etiam subditos avocaturus, vel commissurus aliquid hujusmodi tanta cum obstinatione, ut Ecclesia præmissis frustra precibus, monitionibus, comminationibus, censuris, illud tandem extremum ac in desperatis tantum malis, & maxima cum cautela usurpandum remedium adhibere cogeretur, ut scilicet ejus subditos à præstituto fidelitatis juramento absolveret.

4. Si tam sinistram de tam Religioso Principe suspicionem non conceperant, quid necesse erat doctrinam spargere, ex qua certò secutura erat magna in Ecclesia perturbatio, piorum Christianorum offensus, ac quoddam schismaticis genus? sed si de Rege Christianissimo ita sentiebant, ejus Religionem quomodo non offendebant? Accedit quod si Religiosissimus ille Princeps ita malè fuisset affectus, eum ad casum impulisset, potius quàm labantem confirmasset Clerici sui doctrina impunitatem promittens.

5. Ut enim excelsis animis antiquius nihil est, quàm Imperium non habitum adipisci, obtentum servare, ac propagare, amissum recuperare; ita nihil est quod timeant magis quàm Principatus amissionem, vel in ejus assécutione impedimentum. Itaque si supremi Principes ex fidei desertione, vel etiam impugnatione, damnum aliquod temporale sibi accidere non posse confidant, & spiritualia non satis pertimescant, facilius ortà vehementi tentatione in præcipitium corruent, & innumerabilem hominum turbam secum trahent. Cum e contra si Principatus privatione se plecti posse sentirent, illo veluti fræno cohiberentur.

6. Si autem jam Principes à fide defecerint, tantum abest, ut illa Ecclesiæ autoritas à reperendo piæ matris gremio avertat, ut ad reditum potius invitet. Vel enim Ecclesia jam usa est in illos autoritate prædicta, vel ad eam utendum est.

N. C.

certatibz
de gallicane
GIII
231

est parata, vel omninò uti non meditatur; si jam illam adhibuit, aut adhibere proposuit, resipiscentiâ huic malo occurreretur. Si ab ea usurpanda omninò abstinere deliberavit, cur gravem futuram filiis obedientibus potestatem Matris pertimescant, quæ nec inimicis nocere voluit?

7. Miror potuisse Illustrissimos Antistites Gallicanos hanc Ecclesiæ potestatem negare, ex qua tantam utilitatem totum illud Regnum non ita pridem percepit. Ut enim prætermittam quæ sub Henrico III. in Gallia gesta sunt, quia licet labantem, & ferè labentem fidem confirmarint, quorundam temeritas sub specie zeli, longius quàm par erat progressa est; Quis scit quam cladem perpeffura erat Catholica Religio in eo Regno, nisi obstitisset Ecclesia Henrico IV. quominus Regnum adipisceretur, donec hæresim Calvinianam abjurasset? Quis scit utrùm ejus filius, aut nepos hodie regnans, & hæresim ipsam Calvinianam tam gloriosè à sua ditione exterminans, Patris aut Avi errorem secuti fuissent, & in eum maximam subditorum partem, ad quem plures videbantur propensi, suo exemplo, & auctoritate impulissent.

8. Necessaria est aliundè populis, præsertim Francis, doctrina hæc de potestate Ecclesiæ in Principes. Cùm enim à majoribus suis Regnum ab una stirpe in aliam non semel translatum fuisse meminerint, expedit ut certò sibi persuadeant id sine præstiti juramenti solutione, ac sine auctoritate Ecclesiæ tentare nefas esse, nec interventuram unquam illam auctoritatem, nisi fortè gravissimæ causæ, deficientibus aliis omnibus remediis, & adhibitâ cautelâ quàm maximâ, illuc adigèrent; adeoque favente rerum concursu nihil sibi temerè aggreffiendum.

9. Quod si populi hæresi sint infecti, cùm Ecclesiam non audiant, parùm fortasse illis prodest hæc doctrina; sed ideo minùs secura est Principum dignitas ab illorum perfidia. Nam præterquam quod facilius est, ut qui datam Deo fidem frangunt, Principibus, si occasio tulerit, eam negent, hæreticorum est ingenium, quod postrema præsertim sæcula docuerunt, ut Principum sæcularium perinde atque Ecclesiæ, jugum excutere pro viribus conentur. *Dominacionem spernunt, majestatem*

majestatem autem blasphemam ut ait B. Thaddæus. Nec Principibus, nisi scandali vitandi causa, parendum eorum plerique arbitrantur. Itaque illis necessarium, & Principibus tutum esset, ut Ecclesiæ ductum sequerentur, quæ & Dominis obsequi præcipit, etiam ex regulis conscientiæ, & tamen, si ipsi Regem Regum, & Dominum Dominantium impugnant, eos coercere conatur.

10. Quos igitur ab Ecclesia potest alienos efficere illa ejus autoritas? Paganos fortassis. De illis Antistites Gallicanos cogitasse non puto. Sed numquid facultas censurarum adimenda etiam erit Pastoribus Ecclesiasticis, ne illarum metus in Fideles à suscipiendo Baptismo retardet? Num inermis esse debet omnis Superior, ne pœnarum timor ab ejus obedientia deterreat?

11. At, inquires, possunt Ecclesiastici Superiores eâ potestate abuti. Possent fortassis, sed difficillimè. Sed nonnè Principes sua sæpius abutuntur? Ideone illà spoliandi sunt? Certè minus metuendum est, ne Ecclesia Regnum Principibus immeritis auferat, quàm ne illi auferri sibi mereantur.

C A P U T III.

An verbo Dei consona sit sententia, Reges in temporalibus ab omni Ecclesiastica potestate omninò subducens.

MEum non est certos limites præfigere alterutri potestati: hoc tantùm probare contendo, non posse Principes, etiam in temporalibus, prout ordinem habent ad spiritalia omninò Ecclesiasticæ potestati subduci. Contrarium declarant Præsules Gallicani, ac verbo Dei asserunt consonam esse suam sententiam. Sed qui veras olim libertates Ecclesiæ Gallicanæ coram Philippo VI. Rege Francorum anno 1329. tantâ cum laude propugnavit Petrus Bertrandi Episcopus Eduensis tractatu de origine Jurisdictionum quæst. 3. respondet; *Ad tertiam rationem, inquit, de Christo, qui abjecit à se, ut dicunt, omnem jurisdictionem temporalem, dicendum est, quod qui dicit Christum non habuisse omnem potestatem secularem, seu temporalem & spiri-*

tualem contradicit ejus verbo, Matth. ult. cap. DATA EST MIHI OMNIS POTESTAS IN CÆLO, ET IN TERRA. Et Apocal. I. dicitur; PRINCEPS REGVM TERRÆ. Et infra; Verumtamen quia principaliter venerat nos redimere, & salvare, quasi omnes actus ejus versabantur circa eruditionem nostram, & pauci, aut nulli circa exercitium cuiuscunque jurisdictionis; non quod utranque potestatem non haberet, sed ut saluti nostræ totaliter impenderet, sicut dicit Joann. 3. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Expleto autem Sacramento nostræ salutis per mortem Christi, & ejus Resurrectionem, Christus commisit Petro regimen Ecclesiæ tantum; quantum necessarium erat, & expediebat, cum regimine Ecclesiæ. Et quia utraque potestas temporalis, & spiritualis est ad hoc necessaria, IDEO VTRAMQUE POTESTATEM COMMISIT PETRO.

2. Qui ergò dixit Joann. 18. quod primo loco in declaratione refertur; Regnum meum non est de hoc mundo, dixit Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in Cælo & in Terra: Euntes ergò docete omnes gentes. Itaque cum verum vero contrarium non sit, multò minùs prima, & suprema veritas, sibi ipsi; duo hæc oracula ità concilianda sunt, prout utriusque circumstantiæ postulant. Christus cum hæc verba proferret, Regnum meum non est de hoc mundo, ad mentem Pilati respondebat interrogantis; an esset Rex Judæorum, ejusmodi scilicet quales extiterunt Saul, David, & alii, qui per se ipsos populum regebant in rebus politicis, bella gerebant, & cætera omnia implebant Principis sæcularis munia. In eo igitur sensu negavit Christus Regnum suum esse de hoc mundo. At verò cum Apostolis officium imponeret docendi, & baptizandi, ne dubitarent, collatam cum officio plenam auctoritatem, quæcumque ad spirituale regimen necessaria essent, præstandi, non solum in cælo, sed & in terra datam sibi omnem sine exceptione potestatem asseruit. Ex primis enim verbis, data est mihi omnis potestas in cælo & in terra quasi concludendo infert: Euntes ergò, &c. quia potestas Ecclesiastica directè, ac præcipuè circa spiritualia versatur, circa temporalia autem non nisi, quatenus spiritualia requirunt.

3. Itaque Apostoli, eorumque successores ex Dei ordinatione Regalia officia non exercent, atque adeò rectissimè cum Christo dicunt; Regnum meum non est de hoc mundo. Hinc ta-

men

men nullā legitimā consequentiā infertur, non posse Christi Vicarios, & Apostolorum successores, Reges, & Principes, præsertim cum jam per characterem baptismalem Ecclesiæ filii facti sunt, eique subditi, si fidei, ac Religioni perniciem afferunt, monere, compescere, ac mediis congruentibus, & efficacibus impedire, ne potestate temporali abutantur contra Supremi Regis cultum, & obsequium. Nec in hoc Reges, sed Apostolos & Pastores agunt. Unde qui hanc Ecclesiæ potestatem impugnant, æquivocatione colorem suæ sententiæ obducunt, quasi potestas Ecclesiæ ad arcendos ab evertenda Religione Principes sibi per baptismum subjectos; etiam per absolutionem subditorum à juramento fidelitatis, deficientibus aliis remediis, idem esset quod posse Regna sibi adscribere, atque instar Principum ipsorum regnare.

4. Addunt secundo, Illustrissimi Antistites dictum esse à Domino *Reddite quæ sunt Cæsari Cæsari, & quæ sunt Dei Deo* Matth. 22. vers. 21. sed illius oraculi primam partem secunda exponit. Quis enim negat reddenda esse *quæ sunt Cæsari Cæsari*, dummodo reddantur *quæ sunt Dei Deo*, quorum alterum alteri contrarium non est, licet hominum vitio intervertantur. Verum si Cæsar non solum quæ Dei sunt, Deo non reddat, sed subditos etiam suos à fide solemniter Deo promissa revocet, ac per vim retrahat, nonne poterit qui Dei vice fungitur, nisi aliunde mala graviora timeantur, fidelibus declarare *obediendum Deo magis quam hominibus* juxta oraculum Principis Apostolorum. Act. 5.

5. At, inquit, hinc tantum sequi, non esse parendum Principi aliquid contra Deum præcipienti, non autem propterea in aliis ab ejus obedientia recedendum, cum utriusque satisfieri possit; si ut Christianos decet, bonorum, aut etiam vitæ jacturam patiantur, ne vel Deum offendant, vel à Principe descendant. Laudabile quidem id foret. Sed quotusquisque nunc est, qui tanto Christi amore incensus, tanto rerum temporalium, ac vitæ contemptu præditus sit, ut paupertatis, exilii, ac mortis metu à Dei servitio non deterreatur, cum tot videamus minora mala reformidantes, aut caduca bona sperantes ad Principum, quam ad Dei mandata promptiores. Nonne igitur, ut innumerorum hominum rui-

M. C.

De
libertatib;
de gallicane
CIII
#31

164 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
næ occurreretur, liceret Ecclesiæ, Christiano Principi, plu-
ries monito, contumaci, & incorrecto potestatem nocendi
adimere, ac populos ab ejus tyrannide subducere, si hoc sine
majorum malorum periculo fieri posset?

6. Profertur 3. caput 13. Epistolæ B. Pauli ad Romanos,
omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c. Sed se ipsemet
Apostolus explicat, addens; *Nam Principes non sunt timori boni ope-
ris, sed mali, Vis autem non timere potestatem bonum fac; & habebis lau-
dem ex illa: Dei enim Minister est tibi in bonum, &c.* Quid ergo si
Principes sint timori boni operis non mali? Si timenda
sit potestas bonum facienti? si Diaboli minister sit in ma-
lum?

7. Loca Scripturæ sacræ præcipua, quæ sententiæ Illustris-
simi Cœtus Parisiensis adversantur, in Doctorum autorita-
tibus, quas suo loco referemus, continentur. Interim ad-
verto non defuisse scriptores, etiam in Gallia, ut infra vi-
debimus, speciatim cap. 8. §. 5. Quibus sententia illa ita
verbo Dei consona non visa sit, ut eam hæreticam censue-
rint. Unde valde iniquum esset eos, qui ejus sententiæ mo-
mentis convicti fuissent, ad contrariam metu pœnarum adi-
gere.

C A P U T I V.

Utrum potestas Regum immediatè à Deo sit.

1. **P**Lurimum probo Doctorum illorum institutum, qui
Regibus subditorum reverentiam, & obedientiam con-
ciliare conantur, adductis non solum politicis, & naturali-
bus, sed etiam Divinis rationibus. Ea enim est hominis ad
libertatem propensio, ut nisi omni vinculorum genere se
adstrictum sentiat, facillè datâ occasione jugum excutere ten-
tet. Depravatâ per peccatum naturâ, dum quisque nimium,
ac ferè solum se diligit, ubique sibi soli consulit, aliorum
parva, vel nulla ratione habita, unde infinitæ nascuntur in-
juriam, innumera pullulant dissidia, quibus confunditur, ac
perit civilis omnis conjunctio, nisi præstò sit qui, & pro
sua

sua sapientia leges praescribat, & pro tradita sibi autoritate illarum executionem urgeat; illarum violationem ulciscatur, ac unicuique quod eius est conservans, pacem foveat, & confirmet; sed illa ipsa depravatio, quae hominem ad malum inclinat, frangi est impatiens, nec facile patitur ab alio se cohiberi. Quamobrem Divina simul, & humana est autoritate obliganda.

2. Itaque certum est teneri Christianos ex Divino etiam praecocepto legitimos Principes colere, debitaque illis obedientiae, Tributorum, aliaque id generis officia persolvere; indubitatum est etiam Divinam voluntatem ad cujuslibet Principis electionem, sive institutionem, intercedere, & corda hominum in electionibus, sive institutionibus quodammodo dirigere: graviterque perduelles, ac inobedientes plectere. Id docent sancti Patres, quorum adducuntur testimonia ad confirmationem autoritatis Regiae. In eo sensu recte dicitur potestas Regum in communi, vel etiam cujuslibet Regis a Deo esse.

3. Sed aliius aliqui Dignitatem Regiam pervehunt, docentes eam aequè a Deo institutam fuisse, ac spirituales, & singulis Regibus a Deo immediate conferri. Dissimulanda esset haec opinio, quantumvis falsa, si eò tantum spectaret, ut populi libentius Principibus subjacerent, debitamque illis fidem religiosius servarent; Licet enim error nunquam ex se bonus sit, neque probandus; utilis tamen ex occasione interdum est, atque tolerandus. Sed qui Regiam autoritatem nimis extollunt, hoc tantum sibi videntur proposuisse, ut Ecclesiasticam Dignitatem tantumdem deprimant, ac Principum Ecclesiastica jura invadentium injustitiam eo praetextu excusent, quod, ut inquit Petrus de Marca lib. 2. cap. 1. §. 1. *Perinde in Reges singulos, ac in Episcopos autoritas a Deo immediate derivatur.* Perfectam inter illos aequalitatem tribus primis §§. hujus capituli adstruere nititur: Primus sic incipit: *E collatione duarum potestatum egregie conficitur Regiam aequè a Deo institutam fuisse ac spirituales, & solidam humanarum rerum administrationem illi demandatam.* Et infra; *Certum, & constantissimum esse debet apud pios, & devotos Regum cultores unicuique Regum potestatem Regiam immediate a Divino numine conferri.*

X 3

4. Hæc

M. C.

De
certalib;
de gallicana
CIII
731

4. Hæc si seorsim considerentur, falsa quidem sunt, sed neminem lædere videntur. At verò si conferas quæcunque Autor in illo opere, aliiq̃ue Gallicani Scriptores in suis libris, Principibus in Ecclesiam permittunt, ratione protectionis, tuitionis, seu custodiæ Canonum, quam asserunt Regibus à Deo commissam, comperies ex ipsorum mente in multis paulò minorem Pontificali, in aliquibus æqualem, & in nonnullis etiam majorem esse, & quidem à Deo datam laicis viris, circa res Ecclesiasticas potestatem. Itaque prætermitti omninò non potuit quæstio, ex cujus neglectu tandem populo persuaderetur, quæcunque à laicis patitur Ecclesia, non injurias esse, sed jura Divinitus tradita.

5. Audi Renatum Choppinum de Sacra Politia lib. 1. tit. 7. §. 9. expressis verbis tribuentem Regibus autoritatem in res Ecclesiasticas, ex quodam jure Divino, Numinis afflatu, ac sacra quâdam unctiõne; *Hoc certè litterarum monumentis præditum legimus Regium nomen in terris haud quaquam ortum fuisse, sed Cælitus à Diis emissum, Regesque ipsos ita institutos, qui Numine afflati, & sacro delibuti oleo, Divinum quid præferrent, penes quos etiam sacrorum potestas foret* Autore Eusebio Historiæ Eccles. volum. 1. Exin Gallicus Orator Egidius Romanus libris editis asseruit Sacrorum Beneficiorum erogationem ad Reges, ac Cæsares pertinere Philippi IV. Regis temporibus. Quid amplius dixisset de Episcopo, qui Spiritum sanctum accipit, dum ex Institutione Christi per impositionem manuum Presbyterii, per sacram unctiõnem, aliosq̃ue mysticos ritus consecratur ad gubernandam Ecclesiam?

6. Ut aliquid à Deo immediatè esse dicatur, alterutrum ex his duobus requiritur, ut scilicet potestas, quæ conferatur non possit ab alio dari, quàm à Deo; vel, etiam si ab alio concedi posset, Deus ipse solus de facto velit largiri. Alium modum non video, nisi quis de verbis contendere, non de rebus quærat disputare. Sacerdotum potestas ad conficiendum in Sacrificio Missæ Corpus Christi, vel ad dimittenda peccata, non potest ad alium quàm ad Deum immediatè referri, quamvis accipiatur per impositionem manûs Episcopi: Quia nemo potest peccata dimittere, vel Corpus Christi consecrare, nisi solus Deus tanquam causa principalis, & ejus Ministri tanquam causæ instrumentales, & minus principales. Ma-
jus

jus autem est illa efficiendi potestatem communicare, quam illa per se efficere. Potest verò quilibet homo liber, Principis regimini sese subicere, ad ei parendum sese adstringere, fidem spondere, denique ad omnia illa officia obligare, quæ Principes à subditis exigunt. Undè nihil opus est ad Divinam omnipotentiam recurrere pro rebus illis, quæ ab hominibus præstari possunt, & quæ saltem ex parte quotidie præstantur.

7. Solùm igitur, si non expectato hominum consensu, atque sine ulla illorum opera, Deus ipsis Regem præponeret, iste à Deo immediatè suam potestatem haberet. Id aliqui Doctores de Saule, & de Davide opinantur, quamvis negantibus aliis; sed nemo ità constitutos in Gallia Reges somniavit.

8. Mutationes, quæ in Principatu Gallicano contigerunt, satis indicant illum non esse immediatè à Deo, sed à populorum consensu. Quæ enim ratio Divina postulabat, ut modò à Clodovei familia, modò à familia Pippini, denique ab Hugonis Capeti posteris regeretur. Ut primò Reges per electionem, alii per successionem Regnum adipiscerentur, ut principio admitterentur etiam illegitimi, deindè tantùm legitimi, iique masculi?

9. Maneat igitur potestatem Regum à Deo esse, illisque ex Divino præcepto parendum: non tamen illorum potestatem æquè ac Ecclesiasticam immediatè à Deo conferri. Utrumque probatur ex iis autoritatibus, quæ à Domino Marca proferuntur, vel citantur, & ex aliis, quas poterat adducere. Cùm enim B. Augustinus lib. 5. de Civit. Dei cap. 21. ait. *Qui Augusto, ipse & Neroni: Qui Vespasiani, vel Patri, vel filio suavisimè Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimè (Regnum dedit.) Et Tertullianus Apolog. cap. 30. Inde Imperator unde & homo antequam Imperator; Inde potestas illi, unde & spiritus. Et S. Irenæus lib. 5. adversus hæreses cap. 24. cujus jussu homines nascuntur, hujus jussu & Reges constituuntur: Et S. Epiphanius hæresi 40. Videsne ut hæc mundi potestas à Deo stabilita sit, gladii, jus obtineat? Neque verò id aliunde quam à Deo ad vindicandum accipit. Hi inquam, Patres nihil aliud intendunt, quam Principatum non à Diabolo, seu à falsis Diis, ut volebant ii, quos contra disputabant, sed à Deo*
 vero

M. C.
 de
 Tertullianus
 de Gallianis
 III
 731

168 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
vero dari. Utrum autem immediatè vel per populi electionem,
aut consensum, non definiunt, ut patet Textus integros le-
gentibus. Tertulliani consilium est ostendere falsos Deos pro
Imperatoribus non esse orandos, sed verum Deum: S. Au-
gustini, non à falsis Diis, sed à providentia Divina Imperia
distribui; S. Irænaus hoc argumentum tractat, de Diaboli per-
petuo mendacio, potestatibus, quibus nos parere oportet, atque imperiis terri-
nis quatenus à Deo, non à Diabolo constituantur. S. Epiphanius Hæ-
reticos Archonticos impugnat, Principem Sabaoth septimo
in orbe collocantes, tyrannidem ibi exercentem, blasphe-
mantes Deum, ac dominationem ejus spernentes.

10. S. Isidorus Pelusiotes Epist. 216. Potestatem, inquit,
hoc est Imperium, & Regnum à Deo formatum, atque institutum esse profuen-
dum est, ut ne ornatus in statum inornatum degeneret. Verum (quod
etiam de supracitatis, & aliis dici posset) hoc ad Divinam
providentiam referendum est, quæ Principatum quidem ap-
probat, & confirmat, vultque Principibus legitimis etiam
discolis obtemperari; Non tamen singulis potestatem aliquam
supernaturalem, quemadmodum Sacerdotibus Deus infun-
dit, imò aliquos Principes, impios scilicet regnare permittit,
quamvis non approbet, ut subjungit idem S. Isidorus; Quod
si quis impius, aut sacrilegus in illud irruerit, haud quaquam scilicet hunc à
Deo creatum, ac designatum esse dicimus, verum permissionem esse. Quod de
tyrannico usurpatore tantum non intelligit. Prosequitur
enim; Quo nimirum aut Pharaonis in modum improbitatem omnem suam evi-
mat, atque ita extremo supplicio exorciatur, aut eos, qui crudelitate opus
habent, ad meliorem mentem revocet, quemadmodum Rex Babylonis Ju-
daos.

11. Idem clariùs explicat S. Joannes Chrysof. homil. 23,
in Epist. ad Romanos in hæc verba; Non est potestas nisi à Deo,
quæ sic interpretatur; Quid dicis? Omnis ergo Princeps à Deo consti-
tutus est? Istud, inquit, non dico. Nec enim de quovis Principe nithi ser-
mo nunc est, sed de ipsa re. Quod enim Principatus sunt, quodque hi quidem
imperant, illi verò subjecti sunt, quodque non simpliciter, ac temerè cuncta
feruntur, nec fluctuum instar populi huc, atque illuc circumaguntur, Divina
sapientia opus esse dico. Propterea non dicit; Non enim Princeps est, nisi à Deo,
SED DE RE IPSA DISSERIT, dicens, non enim potestas est nisi à Deo.
Quid potest his verbis luculentius desiderari?

12. Autoritatem Justiniani (qua toties utitur D. de Marca, cum deprimenda est Ecclesiastica jurisdictio, & Principum voluntati subjicienda) hic repudiat, quasi B. Pauli, & aliis Divinarum Scripturarum oraculis contrariam, quibuscum si pugnaret, ab omnibus sanè Christianis esset rejicienda. Sed quis sibi persuadeat Justinianum adeo tractandarum rerum Divinarum, & Ecclesiasticarum cupidum, & gloriæ avidum, rem Imperiali Dignitati tantum splendorem conferentem ignorasse? Qui tam sæpè Episcopum agebat, nescisset suam autoritatem æquè ac Sacerdotalem à Deo immediate profectam? Nòvit certè Justinianus potestatem Regiam à Deo esse; sed in eo, quem diximus, sensu. Ait ille ff. de orig. jur. l. 2. §. 9. *Quia difficile plebs convenire cepit, populus certè multo difficilius, in tanta turba hominum: necessitas ipsa curam Reipublicæ ad Senatum deduxit.* §. 11. *novissimè sicut ad pauciores juris constituendi viam transisse, ipsi rebus dicentibus, videbatur: per partes evenit, ut necesse esset Reipublica per unum consuli. Nam Senatus non perinde omnes Provincias gerere poterat. Igitur constituto Principe datum est ei jus, ut quod constitueret, ratum esset. Item ff. de constit. Princ. l. 1. Quod Principi placuit legis habet vigorem, utpote cum lege Regia, qua de Imperio ejus lata est, POPVLVS, EI, ET IN EVM OMNE SVVM IMPERIVM, ET POTESTATEM CONTVLERIT.* Oritur ergo immediate à populorum consensu autoritas Regia: sed à Deo tanquam à primo fonte proficiscitur, ab eo consensus hominum confirmatur, ab eo Regum contemptus vindicatur, idque Justinianum non latuit, ut significant ejus verba nov. 6. *Maxima quidem in hominibus sunt dona, à supremâ collata clementiâ, Sacerdotium, & Imperium; & illud quidem Divinis ministrans, hoc autem humanis presidens, ac diligentiam exhibens; ex uno eodemque principio utraque procedentia, humanam exornant vitam.*

13. Rejectâ Justiniani autoritate, non miror Aristotelis non haberi rationem; Illud tantum miror, quod addit Dominus de Marca loc. cit. §. 2. quod de Regibus opiniones in Aristotelis officinâ conflata magno studio etiam à Christianis arrepte sunt. Siquidem; ut ille vult, erant sacris Scripturis contrariæ, quomodo potuerunt magno studio à Christianis arripi? An Christiani minus Spiritus sancti, quàm Aristotelis autoritati tribuunt? Docent communiter Patres nullam gentem sincerius Reges

170 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
colere, eorumque mandata, Divinæ legi non repugnantia,
fidelius exequi, quàm Christianum populum: Quomodo
ergo arriperent opiniones non minus legi Divinæ, quàm
Principum potestati infensas? Sed illa Divinæ Scripturæ testi-
monia non aliud suadent, quàm à Divina providentia consti-
tuiti Principes; Divinæ ordinationi resistere, qui eis resistit,
cumque sibi damnationem acquirere, qui iustis eorum man-
datis non obtemperet. Hæc Christiani omnes fatentur: *Regiam potestatem æquè à Deo institutam fuisse ac spiritualem; & perinde in
Reges singulos, ac in Episcopos auctoritatem à Deo immediatè derivari, nec
sacra Scripturæ docent, nec Christiani rerum Theologica-
rum periti credunt.*

14. Sed, ne in re tam aperta tempus teramus, id unum
ab eis peto, qui docent potestatem Regiam æquè à Deo insti-
tutam fuisse ac spiritualem, & unicuique Regum potestatem
Regiam immediatè à Divino numine conferri, quodnam sit
Sacramentum, quo potestas illa traditur, ubi, à quo, quan-
do, & quomodo institutum?

C A P U T V.

*An Patrum traditioni consona sit doctrina Præfulum
Gallicanorum, Reges Ecclesiasticæ potestati in tempo-
ralibus omnino subducentium, ac primò de Patribus in
Conciliis sedentibus?*

1. **P**atres appellantur, vel Episcopi in Conciliis congrega-
ti, vel ii, quos propter eximiam doctrinam Ecclesia
tanquam fidelium parentes in Christo agnoscit, sive Episco-
pali dignitate fuerint insigniti, sive non fuerint. Utrosque
audiamus, ac primum in Conciliis sedentes.

2. In Concilio Romano tertio sub Gregorio VII. anno
1076. sententia depositionis contra Henricum IV. Germa-
niæ Regem pronunciata fuit, atque ejus subditi à juramen-
to fidelitatis absoluti, rursumque in Concilio Romano septi-
mo anno 1080. depositio, & absolutio confirmatæ sunt. So-
lent Galli objicere tentatum id fuisse à Gregorio VII. nimis
au-

audacter, verum secus suadent tanti Pontificis pietas, ac in revocando ad meliorem frugem Henrico diligentia; ab aliis tamen Conciliis petenda sunt exempla, quorum aliqua irrefragabilis sunt autoritatis.

3. Concilium Lateranense sub Alexandro III. anno 1168. Fridericum primum Imperatorem excommunicavit, ejusque subditos à fidelitatis juramento absolvit. Quæ legitimè præstita fuisse agnovit Fridericus, quandoquidem Pontifici se humiliter subjiciens sententiam revocari exoravit.

4. Concilium generale etiam Lateranense sub eodem Alexandro III. cui plurimi Gallicani Præsules interfuerunt, can. ult. hanc pœnam decernit in Dominos certum quoddam prædonum genus foventes; *Relaxatos autem se noverint à debito fidelitatis, & hominii, ac totius obsequii, donec in tanta iniquitate permanserint (Domini) quicumque illis aliquo pacto tenentur annexi: In ipsos autem prædones; confiscetur eorum bona, & liberum sit Principibus hujusmodi homines subjicere servituti.*

5. Concilium Lateranense anno 1215. quod, ut notat Illustrissimus Cardinalis de Perron, Jure universalissimum dicitur, quippè cui præter Summum Pontificem, & Patriarchas Constantinopolitanum, & Hierosolymitanum interfuerint Patriarcharum Alexandrini & Antiocheni Legati, septuaginta Archiepiscopi, 412. Episcopi, & plusquam 800. alii Prælati, nec non omnes Reges, & Monarchæ Christiani per se, vel per Legatos, scilicet Imperator Orientis, Imperator Occidentis, Rex Hierosolymorum, Rex Galliæ, Rex Angliæ, Rex Aragoniæ, &c. cap. 3. sic statuit; *Siverò Dominus temporalis requisitus, vel monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, PER METROPOLITANVM, ET CÆTEROS COMPROVINCIALES EPISCOPOS EXCOMMUNICATIONIS VINCULO INNODETVR, & si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc Summo Pontifici; VT EX TVNC IPSE VASSALLOS AB EIVS FIDELITATE DENVNCIET ABSOLVTOS, ET TERRAM EXPONAT CATHOLICIS OCCVPANDAM, qui eam exterminatis hæreticis sine ulla contradictione possideant, &c.*

6. In hoc Concilio plenè concessum fuit Comiti Montfortis dominium Tolosæ, aliorumque locorum Comitatus Tolosani, in pœnam favoris à Comite Tolosano hæresi

M. C

de
 Cardinalibus
 de Gallia
 CIII
 731

172 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
Albigensium præstiti; quæ concessio paulò ante decreta fue-
rat à Concilio apud Montempessulanum habito, & confir-
mata à Summo Pontifice usque ad tempus Concilii generalis
proximè congregandi dumtaxat. Rem narrat Petrus Vallis-
Sarnensis Monachus in historia Albigensium, & alii. Decre-
tum Concilii refert Lucas Dacherius spicileg. tom. 7. in quo
maximè notanda sunt verba ista; *Sacro consulto Concilio ita duxi-
mus providendum: ut Raymundus Tolosanus Comes, qui culpabilis repertus
est in utroque, nec unquam sub ejus regimine terra possit in fidei statu ser-
vati, sicut à longo tempore certis indicis est compertum, AB EIVS DO-
MINIO, quod utique grave gessit, PERPETVO SIT EXCLUSVS.*

7. Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi anno 1245.
sententiam depositionis decrevit in Fridericum II. & absolu-
tionem subditorum à juramento fidelitatis: *Memoratum Princi-
pem, qui se Imperio, & Regnis, omniq; honore ac dignitate reddidit tam
indignum, quiq; propter suas indignitates, à Dea, ne regnet, vel imperet,
est abjectus, suis ligatum peccatis, & abjectum, omniq; honore, & digni-
tate privatum à Domino ostendimus, denunciavimus, ac nihilominus SENTEN-
TIANDO PRIVAVVS: Omnes, qui ei iuramento FIDELITATIS TE-
NENTVR ADSTRACTI, A IURAMENTO HUIUSMODI PERPE-
TVO ABSOLVENTES auctoritate Apostolica firmiter inhibendo; ne quis-
quam de cetero sibi unquam Imperatori, vel Regi pareat, vel intendat.*

8. Concilium Constantiense, quod à Comitibus Cleri Gal-
licani in secunda propositione laudatur, & in Gallia maximi
fit sess. 17. hanc pœnam decrevit in eos, qui Sigismundo
Regi Romanorum, & Hungariæ in Aragoniani proficiscenti
aliquam inferrent injuriam; *Quicumque cujuscunque status, aut con-
ditionis existat, etiamsi REGALIS, Cardinalatus, Patriarchalis, Archi-
episcopalis, Episcopalis, Ducatus, Principatus, Comitatus, Marchionatus,
seu alterius cujuscunque dignitatis, seu status Ecclesiastici, vel secularis
existat, qui Serenissimum, & Christianissimum Principem Dominum Sigis-
mundum Romanorum, & Hungaria, &c. impediverit, ET OMNI HO-
NORE, ET DIGNITATE, OFFICIO, BENEFICIO ECCLESIASTI-
CO, VEL SÆCVLARI, SIT IPSO FACTO PRIVATVS. Et in
sententia contra Benedictum XIII. quæ habetur sess. 37. Om-
nibus, & singulis Christi fidelibus inhibet sub pœna favoris schismatis, &
heresis, atque privationis omnium Beneficiorum, dignitatum, & honorum
Ecclesiasticorum, & mundanorum, & aliis pœnis Juris, etiamsi Episcopalis,*

& Patriarcalis, Cardinalatus, REGALIS sive dignitatis, aut Imperialis, quibus, si contra hanc inhibitionem fecerint, sine autoritate hujus decreti ac sententia ipso facto privati, & alias pœnis incurram pœnas, ne eidem Petro de Luna schismatico, & hæretico incorrigibili, notorio declarato, & deponito tanquam Papa obediant, pareant, vel intendant, aut eum quovis modo contra promissa sustineant, vel recipient, sibiq; præsentent auxilium, consilium, vel favorem.

9. Hanc sententiam cum pœnis adjectis renovavit, & confirmavit Concilium Senense anno 1423. Inhibitionem suam omnibus singulis Christi fidelibus sub pœnis favoris hæresis, & schismatis, ac privationis omnium Beneficiorum, dignitatum, & honorum Ecclesiasticorum, ac mundanorum, & aliarum pœnis furis instigendo, ut dicta sententia præfati Concilii, cujus totum tenorem hic haberi vult pro expresso, latius continetur, ratam, & gratam habens ejus executionem, continuationem continuare valens, decernit, statuit, & declarat omnes, & singulos post obitum dicti Petri de Luna continuantes, seu perseverantes in credulitate, vel observantia erroris, & schismatis ejusdem Petri sic (ut promittitur) damnati, vel ius aliquod ab eo in eas directe vel per indirectum derivasse, aut derivari potuisse præterdentes, seu in vice ejus succedentes, eorumque receptatores, defensores, & factores cujuscunque status, præminentia, vel conditionis existant, etiam Pontificali, Cardinalatus, Imperiali, vel REGALI, aut alia quacunque Ecclesiastica vel seculari præfulgeat dignitate, . . . fore obnoxios, & ligatos pœnis, & censuris in dicta sententia contentis.

10. Constantiense, & Senense secutum est Basileense, quod prætermitterem, quia Illustrissimi Antistites Gallicani ejus autoritate non utentes ad confirmandam secundam propositionem, licet Constantiensis Decreta, quæ citant, semel atque iterum renovasset, videantur fateri eam ad minus esse dubiam; nisi scirem quampluribus Gallis fecus videri, ac Basileense Concilium maximo in honore tanquam legitimum, & generale ab ois haberi: Concilium igitur Basileense in salvo conductu dato in Congregatione generali die 18. Julii anno 1432. Legatis Pontificiis, sic loquitur; Exhortatur omnes, & singulos Christi fideles cujuscunque dignitatis, status, gradus, aut præminentia existant spiritualis, & temporalis, etiam REGALI, Ducali, Archiepiscopali, Episcopali, vel alia quavis præfulgeant dignitate, Universitates, & Communitates, ceterosque, quibus presentes litteræ exhibita fuerint, eique in virtute sanctæ obedientia mandat, ut si per eorum dominia, terras, Territoria, Civitates, Oppida, Castra, Status, Villas, Castellæ, aut alia

loca vos, & quemlibet vestrum transire contingat sub pœnis, sententiis, & censuris tam in Constantiensi, & Senensi, quam hujus sanctæ Synodi sacris decretis contentis, & fulminatis districtè injungendo, quatenus vos, & vestrum quemlibet cum Comitibus hujusmodi securos, liberos, & tutos cum rebus, & bonis vestris universis, ire, stare, & redire sine molestia, & impedimento permittant, de securitate, & conductu à nobis requisiti, quoties opus fuerit, favorabiliter providendo. Patet igitur Episcopos Galliarum, qui magno in numero aderant in Concilio Basileensi, magnaque ibi auctoritate pollebant, aliter quam modernos sensisse de potestate Ecclesiæ in Principes.

11. Concilium Tridentinum sess. 25. de reform. c. 19. privatos declarat dominio Civitatis, Castri, aut loci, ea concedentes ad Monomachiam, & si feudalia sint, directis Dominis acquisita decernit. IMPERATOR, REGES, DVCEs, PRINCIPES, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in Terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, & dominio Civitatis, Castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur; Et si feudalia sint, directis Dominis statim acquirantur. In ipsos autem decertantes profert omnium bonorum proscriptionem. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetua infamie pœnam incurrant, & ut homicida juxta sacros Canones puniti debeant, &c. Vide Duvallium 2. 2. q. 17. Respondebitur fortasse Concilium Tridentinum non esse receptum in Gallia; sed de illa receptione tractabimus alibi. Satis hic est, ut notemus Concilii œcumenici sententiam ad minus Comitiorum Cleri Gallicani declarationi esse anteponendam.

12. Sed quæ opponetur responsio & Concilii Constantiensis in Gallia recepti tanquam generalis, & aliorum Conciliorum ubique receptorum, ut indubitatè œcumenicorum auctoritati? Mirum est quomodo doctrinam, tot, tamque augustorum Cætuum sententiæ adversam, Illustrissimi Præsules Parisiis congregati declarare ausi sint publica tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiæ, quam Imperio utilem, ut verbo Dei, Patrium traditioni, & Sanctorum exemplis consonam omnino retinendam.

13. Hæc ex Conciliis sufficiant. Audiamus jam Patres, Episcopos, aliosque Doctores seorsim loquentes.

CAPUT VI.

An doctrina in prædicta propositione Cleri Gallicani contenta, sit consona menti S. Gregorii Magni?

1. Sanctus Gregorius Magnus lib. 11. Epist. 10. concessis privilegiis Xenodochio à Brunichilda Regina, & Theodoro ipsius nepote Rege constructo subjungit; *Si quis vero REGVM, Sacerdotum, Judicum, personarumque secularium hanc Constitutionis nostre paginam agnoscens contra eam venire tentaverit, POTESTATIS, HONORISQUE SUI DIGNITATE CAREAT.* Quæ clausula continetur etiam in duabus Epistolis sequentibus.
2. Hujus autoritatis vim cum aliàs eludere non posset Joannes Launojus, tres illas Epistolas suppositas, aut saltem interpolatas ostendere conatus est Epist. par. 7. Epist. 1. & 6. sed cum ab undecim ferè sæculis nemo in dubium eas revocaverit, nec solùm à Gregorio VII. allegata fuerit prima earum, sed etiam omnes à pluribus Gallicanorum monumentorum collectoribus exscriptæ, ut ab Andrea Duchesne Histor. Francor. tom. 1. & à Patre Jacobo Sirmondo Concil. Gall. tom. 1. & ab innumeris illius Nationis scriptoribus citatæ, nisi argumenta proferat meridianâ, ut ita dicam, luce clariora, non videtur audiendus. Quæ sint igitur ejus fundamenta videamus, & primò in Epist. 6. ubi ex professo illas impugnat.
3. Primum petit ex eo quod Gregorius in concedendis similibus privilegiis, similem pœnam non adjecerit, ut probat adductis octo Epistolarum fragmentis. Secundò ex eo quod contra simoniam agens à simili etiam pœnâ inferendâ abstinuerit, idque probat quindecim aliarum Epistolarum locis. Tertium ex eo quod subsequentes Pontifices, scilicet Nicolaus I. & Joannes VIII. qui similem clausulam longè post illa tempora primi usurpare cœperunt, Regum mentionem non fecerint; sed Nicolaus Ecclesiasticarum tantum personarum; Joannes Sacerdotum, Judicum, &c. At certè argumenta illa negativa, veritatem prædictæ autoritatis concutere nequeunt; cum multis

M. C.

De
certalibz
de Gallicana

III
431

176 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
multis de causis contingere potuerit, ut S. Gregorius hæc
privilegia intentatâ speciali pænâ communienda duceret. Plu-
rimas invenisset Launoïus ejusmodi causas, si prædictæ E-
pistolæ consilio suo favissent, & quidem verisimiliores, quàm
rationes, quibus illas impugnat. Illustrissimus Petrus de
Marca Principum dignitatis vindex, non minus studio-
sus, quàm Launoïus, Regiæ autoritati satis esse putavit,
*si ea privilegia, de quibus agitur, ad petitionem Brunichildæ Regi-
næ, & Theodorici Regis indulta dicerentur*; de Concord. lib. 3.
cap. ult. n. 4. Hanc certè petitionem innuunt ipsæmet Episto-
læ impetitæ, sed apertissimè docent duæ, quæ istas ante-
cedunt, in quarum prima, quæ est octava libri II. ad Bru-
nichildam Reginam sic scribit S. Gregorius; *Privilegia locis ip-
sis pro quiete, & munitione illis degentium, sicut voluistis, indulsumus. Et
infra. Nos itaque pro munitione locorum, de quibus Excellentia vestra scrip-
sit, omnia, sicut voluit, sancire studuimus. Et in Epist. 9, quæ est ad
Theodoricum Regem; Omnia, quæ Excellentia vestra voluit citius, ac
libenter implevimus.*

4. Sed cum duæ istæ Epistolæ tres alias confirmet, cur
eas etiam Launoïus falsas, & interpolatas non dixit, & septi-
mam etiam ejusdem libri, cujus argumentum idem est, quod
unius articuli Epistolæ prædictæ ad Brunichildem? Fortasse
quia clausulam supra relatam expressè non referunt. At il-
lam multùm verisimilem efficiunt; cum quod illa clarè
distinctèque exprimit, istæ in genere significant. Nec sine
causa bis in una Epistola dixit S. Gregorius se rem fecisse,
sicut Regina voluerat, qua repetitione indicare videtur, se
rem concessisse valdè peculiarem.

5. Sed cum plurium sæculorum possessio Epistolis suffra-
getur, quas Launoïus falsitatis, aut interpolationis suspectas
efficere nititur, non nostrum est illarum veritatem proba-
re, sed accusationem repellere. Veniamus igitur ad alia Lau-
noïi argumenta. Ridiculum certè illud est, quod tamen ip-
se pluries admovet in hac Epistola 6. & in 1. & meminuit
etiam in ultima ejusdem partis septimæ; nimirum, si hæc clau-
sula vera esset, S. Gregorium hæreticum fore, siquidem, in-
quit in hac Epistola 6. *Reges, qui non nihil Xenodochio malè ablatum,
asses puta duos, non restituerint, deponit, & Ecclesiasticâ communionem pri-*
vat.

vat: Pœna duplex est, eaque omnium gravissima, quæ levi, ut apparet, culpa irrogatur, alioquin indissimulabili veritate fatendum est, S. Gregorium credidisse pares esse culpas omnes; cum Regibus, qui Decalogum violassent totum, pœna gravior non imponeretur. Quo pacto hic Pontifex in Joviniani, & Stoicorum hæresim incurvisset. Deus bone! Quot habuit hæreticos non solum Romana Ecclesia, sed & Gallia ipsa, si in hæresim incurrerunt quicumque Antistites pœnam omnium maximam, excommunicationem scilicet decreverunt in eos, qui res ad loca sacra pertinentes, aut usurparent, aut retinerent injustè. Quot enim edita sunt à Conciliis, quot à summis Pontificibus, Decreta contra hujusmodi sacrilegium? Videri possunt apud Canonum Collectores v. g. apud Antonium Augustinum in Juris Pontificii veteris epitome lib. 6. tit. 9. & lib. 15. tit. 30. 31. 32. 33. & 34.

6. Denique ex comparatione Gregorii VII. Henricum ab Imperio deponentis, & excommunicantis, cum Gregorio I. simili pœna plectentis Reges, Sacerdotes, & Judices privilegia supradicta violantes, infert Gregorium I. quem ut mitissimum laudat septimus, immitissimum futurum fuisse, si pro privilegiorum illorum violatione, quæ sine dubio minus crimen fuisset quam ea, de quibus reus dicebatur Henricus, æqualem pœnam irrogasset; quasi verò flagitia omnia, quibus per leges civiles indicta est pœna mortis, aut per Canones censura excommunicationis, æqualia sint; ac inter hæreticos Joviniani, & Stoicorum sectatores censendi sint omnes Ecclesiæ Pastores, si pœna excommunicationis afficiant crimina diversæ speciei, seu inæqualis malitiæ. Ergone, cum in eodem peccati genere alius alio gravius peccet, pro conditione personæ, cognitionis modo, & aliis, quæ concurrunt, ille tantum qui omnium gravissimè peccabit, erit excommunicandus, ne fortè æqualitas pœnæ Judicem arguat injustitiæ, si pro inæquali culpa æqualem pœnam imponat, aut hæresis Joviniani, & Stoicorum suspectum reddat, si peccata verè inæqualia, esse arbitretur æqualia. Accedit, quod pœna declarata, & executioni demandata ob crimen jam admissum, qualis fuit illata Henrico à Gregorio VII. major censenda est, quàm quæ alicui prohibitioni adjungitur adversus eum, qui agnoscens contra eam venire tentaverit, ut loquitur Gregorius I.

Z

7. Præ-

M. C.
 de
 hereticis
 de Gallianis
 III
 731

7. Præter illa argumenta quædam alia jam protulerat Epist. 1. ejusdem partis 7. quorum unum est eadem trium Epistolarum contextio, quæ falsitatis nota est; sed quid mirum, si tria ejusdem omnino generis privilegia, eodem tempore ab iisdem personis petita, eodem tempore concessa, iisdemque omnibus circumstantiis, eadem formâ exprimentur; variatis tamen iis, quæ ad personas, ad quas dirigebantur, spectabant.

8. Sequitur argumentum negativum, sumptum à silentio Joannis Diaconi vitæ S. Gregorii scriptoris, qui rem Gregorio, & Sedis Apostolica rationibus conducenem quamplurimum non prætermisisset, si in Epistolis ejus extitisset. Debile ubique argumentum negativum, sed hic maximè; Cùm Joannes ipse in præfatione sui operis declarat se multa, etiam memoratu digna, brevitatis causa prætermisisse; *Quamquam, inquit, multa, & varia memoratu digna studio brevitatis omiserim, nihil memini me posuisse, quod scriptorum veterum autoritate defendi nequeat.* An suspectæ habeantur argumento Launoii S. Gregorii Epistolæ de rebus magni momenti tractantes, quotquot à Joanne Diacono prætermisæ fuerint?

9. Aliud argumentum mutuatur ab Epistola Petri Damiani ad Alexandrum II. quæ est 12. libri primi; Verùm ibi Petrus non conqueritur de usu censurarum, sed de frequenti nimis ac indiscreto; *Cumt̄is ferè Decretalibus paginis, inquit, anathema subjungitur.* Quare optimè notat S. Gregorium hunc morem in suis non observasse Decretis; Tam enim aberat à *cumt̄is ferè Decretalibus paginis anathemate subjungendo*; ut Launoius privilegia, de quibus est quæstio, ex eo etiam capite impugnet, quod pœna excommunicationis illis adjecta fuerit, quâ in similibus privilegiis, aut contra simoniam uti non solebat S. Gregorius. Quamvis hic petitio Regis, ac Reginæ fundatorum, vim illius consequentiæ, aliàs illegitimæ, elidat.

10. Rationem illam, de qua sibi tantùm applaudere Launoius videtur, nimirum Pontifices futuros hæreticos, si pro levibus criminibus graves pœnas constituisent, quia cum Joviniano, ac cum Stoicis (quamquam hæresis de Stoicis improprie dicitur) peccata æqualia esse supposuissent, à Petro Damiani sine dubio mutuatus est; sed ineptè, ac in sensu ab ejus Autoris mente valde alieno adhibuit. Rectè quidem Petrus

Petrus Damiani de indiffereto, ac frequentissimo usu anathematis conquebatur his verbis; *Cunctis ferè Decretalibus paginis anathema subiungitur quam sit salutis immane periculum, & infinite patiens vorago labentium, ac perniciis animarum, Clementia vestra pietas non ignorat. Dicitur enim quisquis hæc, vel illa non fecerit, sive certè quisquis hoc quod superius statutum est, irritum duxerit, vel in aliquo violaverit, anathema sit.* Et aptè deinde addidit; *Non enim secundum Stoicos omnia peccata sunt paria, atque idcirco indifferenti sunt ultione plerenda. Non infert cum Launoio, vir aliàs satis austerus, hæreticos esse censendos, qui pœnas æquales pro omnibus peccatis indiscriminatim imponerent, sed monet, cum omnia peccata paria non sint, pro omnibus anathema, maximam omnium pœnarum, non esse passim infligendum.*

11. Accedit quòd Launoius, ut prædictæ rationi aliquem obducatur colorem verbis S. Gregorii ridiculam affingit sententiam, quasi, dum vetatur usurpatio, aut injusta detentio bonorum ad pia loca, de quibus est sermo, pertinentium, sensus sit, cum, qui rem modicam, puta, inquit Launoius Epist. 6. asses duos, Epist. 1. asses quindecim, usurpaverit, aut detinuerit, pœnas gravissimas illic appositas incursum sit. Pari ratione in ridiculum sensum deflectentur omnes Conciliorum Canones, prohibentes sub pœna excommunicationis sacrilegam bonorum Ecclesiasticorum usurpationem. Quot enim reperies, qui taxaverint pretium rerum subtractarum ad incurrendam excommunicationem necessarium? Ex gravitate pœnæ Doctores inferunt, non sufficere, ad eam contrahendam, materiam adeò levem, non autem arguunt cum Launoio pœnam injustam esse, vel Legislatores hæreticos.

12. Aliud argumentum trahit ex inscriptione Epistolarum 10. & 12. quia in illa Senator, in ista Lupo Presbyteri & Abbates nuncupantur, cum tamen S. Gregorius lib. 3. epist. 11. Presbyteros Monasteriis præfici vetet, fatetur quidem tacite Launoius S. Augustinum, & quosdam alios Patres aliud observari voluisse, atque aliud etiam in Ecclesia post S. Gregorium observatum fuisse; sed cum de S. Gregorio agatur ejus solius praxim vult hic esse attendendam. At nonne præstaret, S. Gregorium cum S. Augustino, & aliis Patribus, ac cum Ecclesiæ usû mox subsecuto concordare?

Res non erit admodum difficilis; satis enim est, ut ad S. Gregorii verba mediocri adhibeatur attentio. Non enim præcipit ut qui Presbyter est ordinatus, sive antequam Religionem ingrederetur, sive in Religione ipsa, Ordinum exercitio spoliatur, statim ut Abbas fiet; sed prohibet, ne qui alicujus Ecclesiæ servitio addictus est, Monachis præficiatur, nisi dimissâ Ecclesiâ suâ transeat ad Religionem; quod nimirum utrique officio satis esse non possit. Hæc sunt ejus verba istuc pertinentia (nam quæ his præmittit Launoius, ac cum istis etiam punctuatione conjungit, ex qua conjunctione sensus obscuratur, non ita tamen ut adhuc satis clarè non perspicatur, ad aliud pertinent) *Presbyteros, Diaconos, ceterosq; cujuscumque Ordinis Clericos, qui in Ecclesiis quoquo modo militant, Abbates per Monasteria esse non permittas; sed aut admittâ Clericatus militiâ Monasteria non provehantur Ordinibus, aut si in Abbatis loco permanere decreverunt, Clericatus nullatenus permittantur habere militiam; satis enim incongruum est, si cum unum ex his pro sui magnitudine diligenter, qui non possit explere, ad utrumque judicetur idoneus; sicq; invicem & Ecclesiasticus ordo vita Monastica, & Ecclesiasticis utilitatibus regula Monachatus impediatur. Verba illa, qui in Ecclesiis quoquo modo militant. . . . admittâ Clericatus militiâ. . . . Clericatus nullatenus permittantur habere militiam, mentem S. Gregorii significant, nempe nolle illum, ut qui alicujus Ecclesiæ servitio tanquam Clerici mancipati sunt, Monasterio præsent. Sed hunc S. Doctoris sensum manifestè pandit ratio, quam affert; Cùm unum ex his pro sui magnitudine diligenter non possit explere, &c. Quæ ratio nihil valet ad probandum, eum, qui ante Pontificatum S. Gregorii, vel qui tempore ipso ejus Pontificatus ante ingressum in Religionem, vel etiam post ipsum ingressum, in loco satis ab urbe Roma remoto, Presbyteratus ordine fuisset initiatus, non fuisse vocandum Presbyterum à S. Gregorio, sed habendum ut Laicum.*

13. Præterea argumentum Launoio ministravit diversitas Codicum; sed hujus varietatis in promptu est ratio, nimirum quod tanta sit trium Epistolarum similitudo, ut omnes exscribere satis visum fuerit aliquibus amanuensibus; sicut in omnibus ferè Codicibus impressis prima tantum integra est, reliquarum ponitur solum initium, cum, &c. ut observavit ipse Launoius, qui etiam propter illam magnam simi-

multitudinem, illas de falso suspectas efficere conatus est, licet frustra, ut supra ostendimus. Adde quod in omnibus Codicibus etiam manuscriptis habetur prima, quæ est ad Senatorem, quæ sola citata est à Gregorio VII. à Cardinali Peronio, & aliis. Deindè cum, ut supra notavimus, illa privilegia tribus locis piis, ab iisdem Principibus fundatis, in eadem Civitate, aut ejus suburbio, eodemque tempore indulta fuerint, faciliè amanuenses effugere poterit illorum distinctio. Denique ut Launoius tot Codices manuscriptos, & antiquos, totque impressos, falsi posset arguere aliquem deberet proferre illis antiquiorem, & ante tempus, quo admistam falsitatem supponit, exaratum. Quam etiam varietatem unius, & ejusdem Epistolæ, in diversis Codicibus animadvertit, præterquam quod ad clausulam, de qua agimus, non pertinet, nihil mirum est, si ob tantam similitudinem, aliquando Xenodochii, & Monasterii, aliquando Ecclesiæ tantum fiat mentio. Cæterum quando variatio substantiam instrumenti non attingit, veritatis potius, quam falsitatis inditium est in monumentis antiquis. Signum enim est multoties illa fuisse exscripta, atque à magna amanuensium multitudine ortam esse illam diversitatem. Quam enim variæ sunt Lectiones operum, quæ nullâ falsitatis laborant suspicionem? Valeret argumentum Launoi, si in his tantum S. Gregorii epistolis referendis non consentirent omnino Codices, ac in aliis ejus, aut aliorum operibus indubitatis non reperiretur similis, vel major diversitas: Idem etiam dicendum de mendis ab amanuensium negligentia vel inscitia profectis.

14. Ex eo quod Andreas Monachus Gregorii viventis scripta quadam falsavit, & nonnullos illi sermones supposuit, rectè concludit Launoius, sic & alius Monachus, aut Clericus tres istas Epistolas, seu tria hæc Augustodunensia privilegia Gregorio viventi, vel vitæ sanctæ potuit supponere, vel falsare, & Epistolarum Codici ante Joannis Diaconi tempus inferre; sed ex eo quod fieri potuerit, si concludatur revera factum fuisse, vitiosissima erit consequentia. Nec enim faciunt homines malum omne quod possunt; si legitima esset illa consequentia, non solum aliæ S. Gregorii Epistolæ, sed omnia omnino scripta, præsertim antiqua, vel falsa, vel dubia essent habenda. Ita-
 que

M. C

 De
 certalib;
 de gallican
 CIII
 731

182 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
que licet tres aliæ Epistolæ, quas citat Launoius, suppositæ
fuisſent, ut contendit ob diverſitatem illarum hinc in edi-
tione Romana, illinc apud Ivonem, Gratianum, & Pe-
trum Cluniacensem; non rectè inferretur illa conclusio,
quam his verbis exprimit Launoius: *Non dubito quin Monachi
ſuerint Andrea Monacho ſimiles, qui Sammedardense, & Auguſtodunensia pri-
vilegia, vel ſuppeſuerint, vel ſalſaverint.*

15. Ultimum argumentum, quod ut cumulum adjungit,
est exemplum repulsæ, quam Constantina Imperatrix à Gre-
gorio tulit, postulans B. Pauli Caput, aut membrum aliud,
quod in ejusdem Apostoli Basilica Constantinopoli apud Pa-
latium ædificata collocaret. Excusavit enim se Pontifex lib.
3. epist. 20. quod Imperatrix illa præciperet, quæ ipse fa-
cere nec posset, nec auderet. Undè Launoius infert S. Gre-
gorium, qui Constantinæ, cui debebat & jure Reipublicæ,
& privato parere, negaverat Reliquias, quia Ecclesiæ
Romanæ mos obtinuerat, ne suis ex locis extraherentur,
multò magis privilegia Synodo Chalcedonensi, quàm ut Li-
brum Evangelii venerabatur, contraria non concessurum.
Ac re ipsa lib. 11. epist. 8. ad Brunichildam scribit de quo-
dam bigamo, se vetuisse, ne ad Sacrum Ordinem accederet,
ac subjungit; *Abſit enim ne vestris temporibus in quibus tam multa pia,
as, religiosa agitis, aliquid contra Ecclesiasticum institutum fieri permittatur.*
Non igitur permissurus, nedum decreturus erat, ut ea fie-
rent, quæ in ejusdem libri epistolis Auguſtodunensia privi-
legia continentibus statuuntur. Omnes illæ conjecturæ Lau-
noii testimonio ipsiusmet Epistolæ S. Gregorii ad Brunichil-
dem Reginam, quam citat, scilicet 8. libri undecimam con-
futantur. Sic enim legitur paulò ante finem; *Nos itaque pro mu-
nitione locorum, de quibus Excellentia vestra scripsit, omnia sicut voluit, ſar-
cire studuimus. Sed ne fortasse ab eorum locorum Præpositis eadem decreta
nostra quoquo tempore ſupprimantur, pro eo, quod eis quædam interdicta esse
noſcuntur, hæc eadem constitutio gestis est publicis inferenda; quatenus sicut
in nostris ita quoque IN REGALIBVS SCRINIIS TENEATUR.* Illi
enim locorum Præpositi, quibus per illa privilegia quædam
erant interdicta, erant sine dubio Prælati Ecclesiastici; Nam
Præpositis sæcularibus secundum principia Launoi, non
Papa, sed Regina, vel Rex interdicerere debuisset; & inuti-
lis

lis fuisset factarum prohibitionum in Scriniis Apostolicis
 asservatio. Non videntur etiam intelligendi locorum illorum
 Abbates, seu Præfecti; quia vel illud interdictum juribus
 Episcoporum favebat; & tunc nihil opus erat, ut in Scriniis
 Apostolicis simul, & Regiis asservaretur; satis enim conser-
 vandis suis juribus consulturi erant Episcopi; vel Episcopa-
 libus juribus adversabatur; & sic S. Gregorius non ita Ju-
 rium Episcopaliū religiosus erat Custos, ut, dum occurre-
 bant causæ rationabiles, dispensationem non concederet.
 Si denique Episcopis nec suffragabatur, nec adversabatur,
 non erat tanti momenti, nec tantam requirebat cautionem;
 ut Episcoporum, quibus Monachi plenissimè fuissent sub-
 jecti, curæ relinqui non posset: Erant ergo illi Prælati lo-
 corum Episcopi, quibus erant quædam interdicta. Notanda
 est hæc vox *quædam*; quia per hæc privilegia non fit omni-
 moda subtractio Monachorum à jurisdictione Episcopali,
 ut observavit Dominus de Marca lib. 3. cap. ult. n. 4. Itaque
 non recessit Gregorius à mente Concilii Chalcedonensis, ea
 privilegia indulgens, quæ ad fovendam regularem discipli-
 nam & quietem in prædictis locis piis conducebant; nec Ca-
 nonicæ disciplinæ, cujus sanctus ille Pontifex erat studiosus,
 ad eò adversabantur, ut falsa esse concludamus.

C A P U T VII.

*Prædictam propositionem Cleri Gallicani non esse conso-
 nam doctrinæ S. Bernardi aliorumq; Sanctorum
 Doctorum.*

I. S. Anctus Bernardus de confid. lib. 4. cap. 3. sic Euge-
 nium III. alloquitur; *Quid tu denud usurpare gladium tentes
 quem semel jussus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat non satis
 mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic; Convertite gladium tuum in
 vaginam. Tuus ergo, & ipse tuo forsitan nutu. & si non tua manu evaginan-
 dus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret, & is, dicentibus Apostolis; Ecce
 gladii duo hic, non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est. Uterque
 ergo Ecclesiæ, ET SPIRITVALIS SCILICET GLADIVS, ET MA-*

TE-

TERIALIS, sed is quidem pro Ecclesia, ille vero & ab Ecclesia exercendus est. Ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, & iussu Imperatoris. Ex quibus S. Bernardi verbis, quæcunque adhibeatur interpretatio, necessariò resultat Ecclesiasticam potestatem, saltem indirectè, ad temporalia Principum ex mente S. Bernardi pertinere. Docet enim apertissimè summum Pontificem habere jus imperandi ut bellum geratur adversus Ecclesiæ hostes. Si ergo Princeps Christianus non solum à fide ipse descisceret, sed etiam subditos averteret, nec alia posset ratione comprimi, posset Ecclesia contra eum alios ad bellum inducere, ac ita eum à dominio deturbandum curare. Hanc tantùm Ecclesiasticæ partis potestatem adstruere visum est S. Bernardo pro temporis sui conditione, nimirum ob expeditiones Christianorum Occidentalium in Terram Sanctam contra Infideles. Fulconis Archiepiscopi Remensis, & Ivonis Episcopi Carnotensis sententiam referemus cap. II.

2. Doctrinam illam magis explicat S. Thomas Universitatis Parisiensis Alumnus 2. 2. quæst. 12. art. 2. in corp. *Infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt potest (Ecclesia) sententialiter punire, & convenienter in hoc puniuntur, quod subditis fidelibus dominari non possint. Hoc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem, &c.*

3. S. Bonaventura ejusdem Universitatis Parisiensis Alumnus tom. 7. par. 2. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 1. Patet, inquit, quod dignitas Clericalis, quæ in sua radice considerata, est penitus spiritualis, merito est consona Ordini dominationis, quæ sic præcedit alios inferiores Ordines, quod illos illuminat, perficit, & purgat, & tamen ab illis non illuminatur, nec perficitur, nec purgatur. Quia sicut spiritus dignitate, & officio præcellit corpus, sic potestas spiritualis dignior est, quàm secularis, & ideo bene sortitur nomen dominationis. Unde REGALIS POTESTAS SVBIACET POTESTATI, ET AVTÖRITATI SPIRITVALI, sicut in prima Canonica Petri dicitur: Vos estis gens sancta, Regale Sacerdotium, &c. nam TEMPORALE REGNVM VELVT QVODDAM ADIECTVM SVBIACET SACERDOTIO IN NOVO TESTAMENTO; sed in veteri Testamento Sacerdotium sufficit Regno, unde dicitur in Exod. Eligi vos in populum peculiarem, in sacerdotale Regnum, ubi Regnum ponitur substantivè, sed sacerdotium adjectivè. Hæc fortè de sola dignitate, & excellentia potestatis spiritualis supra sæcularem intelligi possent

possent, sed continuò addit; Et idè Reges tunc poterant amover sacerdotes, sicut Salomon amovit Abiathar. Jam vero POSSUNT SACERDOTES, ET PONTIFICES EX CAUSA AMOVERE REGES, ET IMPERATORES, SICUT SAPIUS ACCIDIT, ET VISUM EST, quando scilicet eorum malitia hoc exigit, & Reipublica necessitas sic requirit. Summus verò Pontifex, penes quem prima in terris residet autoritas, non à Rege, non à Principe seculari, non ab homine judicatur, sed solius Dei iudicio reservatur.

4. Augustinus Triumphus sanctorum Thomæ, & Bonaventuræ Parisiis discipulus, vir doctrina, & pietate insignis, & à plerisque cum Beati titulo nuncupatus, Magistrorum suorum doctrinæ suffragatur, quod adeo est evidens, ut excessisse aliquibus videatur.

5. Difficillimum est, ne dicam impossibile, ut autoritates paris cum jam adductis momenti, proferantur ad confirmandam Cleri Gallicani primam propositionem. Nec video quomodo etiam universim accepta probabilis possit evadere doctrina, Conciliorum œcumenicorum sententiã, & praxi, & sanctorum Patrum, ac Doctorum calculo improbatã; Multominus quomodo possit, prætextu libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, quæ Canonibus & Patrum traditione niti dicuntur, toti Galliæ credenda proponi, advocatã Principis potestate, ut etiam eam profiteri ac docere pœnis indictis Theologi cogantur.

C A P U T V I I I.

Ecclesiæ in temporalia potestas probatur autoritate aliorum Theologorum Gallorum, vel in Gallia educatorum.

1. **A**lexander Alensis Doctoris irrefragabilis epitheto celebris, in schola Parisiensi Professor, S. Thomæ, ac S. Bonaventuræ Præceptor, summæ Theologiæ par. 4. quæst. 10. tract. de offic. Miss. par. 2. super hæc verba; *Et Regem nostrum*; Ugonem de S. Victore lib. 2. Sacrament. par. 2. cap. 4. ferè ad verbum exscribens, *spiritualis*, inquit, *potestas terrenam potestatem insinere habet, ut sit, & judicare habet, si bona non fuerit.*

Aa

Spi-

M. C

lib. 4.
de Gallicanis
CIII
731

Spiritualis autem potestas primùm instituta est, & cum deviat, à solo Deo iudicari debet. Unde spiritualis iudicat omnia, & ipsa à nemine iudicatur. Quod Regalis potestas ordinata est, & instituta per spirituales, patet per hoc, quia adhuc in Ecclesia sacerdotalis Dignitas Regalem potestatem sacrat, & sanctificans per benedictionem, & formans per institutionem. UNDE REGALIS POTESTAS IVRE INFERIOR EXISTIMATUR.

2. Umberto ex Diocesi Viennensi, Parisiis educatus serm. 70. cuius titulus est; sermo in solenni depositione Magnatum secularium per Ecclesiam facienda; Ista autem autoritate magna utitur Ecclesia in depositione Principum, non solum illorum, qui sunt ei subiecti in temporalibus de quibus clarum est, quod potest, sed illorum, QUI SUBSVNT EI SOLVM IN SPIRITVALIBVS, in quibus propter culpas eorum habet potestatem, quia ratione delicti sunt ei omnia subiecta. Quod autem sic possit fieri patet ex tribus. In mundo enim maiori spiritualia scilicet Angelica creature sunt super corporalem & eam regunt. Similiter in minori mundo, scilicet in homine est spiritus super corpus & ipsam regit. Eadem ergo ratione & in Ecclesia Pontificalis potestas qua est spiritualis debet esse super omnem potestatem secularem. Præterea Papa, qui est super omnes potest. deponi ab Ecclesia, qua tota subest ei in casu, ergo multo fortius QUICVNQVE REX DEPONI POTEST A PAPA CUI OMNES SUBSVNT. Præterea si Rex aliquis quod nihil tenet nisi à Deo non posset deponi à Papa, CVM INTERDVM EXPEDIAT EVM DEPONI, ut ostensum est, ergo non reliquisset Deus sufficientem potestatem in Ecclesia ad regimen mundi, quod est inconveniens.

3. Henricus à Gandavo, qui diu Parisiis docuit, ibique scripsit. Quod lib. 6. quæst. 23. pag. 244. Reddet, inquit, (Papa) rationem tanquam superior Judex de rebus etiam temporalibus hominum, si dimittat eas a REGIBVS male, & injuriose tractari; non quia jurisdictionem habeat ordinariam in temporalibus Regibus commissis, sed quia in certis casibus jurisdictionis sue habeat liberam, imò necessariam executionem, juxta illud quod legitur Extravag. qui filii sunt legitimi per venerabilem. Ubi dicitur non solum in Ecclesia patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verum etiam in aliis Regionibus, certis casibus inspectis temporalem jurisdictionem casualiter exercemus non potest deponere Papa Principes, nisi ratione delicti, aut insufficientia. Quod bene exprimitur in illis cap. Alius. Ubi dicitur, Romanus Pontifex Zacharias Regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo QUOD TANTA POTESTATI INUTILIS ERAT, A REGNO DEPOSUIT, & secundum hoc Sacerdos Apostolicus se habet ad Reges, & Principes, sicut Architector civilis ad

alios

alios artifices in Civitate. Sicut enim Architectonici est, præcipere, qui, & quales debent exercere scientiam medicinalem, Rhetoricam, & sic de aliis in Civitate, & quosdam admittere, quosdam repellere: sic Sacerdos Apostolicus debet considerare qui, & quales Regna, & Principatus regere debeant, & bonos honorare, MALOS AUTEM, ET MALE REGENTES DEPONERE, ET ALIOS LOCO ILLORUM SYBSTITVERE.... Ad argumentum in hoc positum; quod dignitates distincte sunt: dicendum, quod verum est propter Divinam dispositionem, sed non ex natura rei, sicut dictum est, & hoc non penitus distinctè, quin superior jurisdictio remaneat penes Papam.

4. Eandem doctrinam statuit Petrus Paludanus in 3. sentent. distinct. 40. quæst. 2. concl. 4. eamque tum aliis, tum istis præcipuè rationibus confirmat; Major potestas includit minorem in ordinatis secundum ordinem finis. Sicut enim in artibus ars que est de fine, imperat illi, que est de eo, quod est ad finem 1. Ethic. sic debet esse in Principatibus. Unde cum corporalia ordinentur ad spiritualia, VNIVERSALIS PRINCEPS IN TEMPORALIBVS DEBET SYBESSE VNIVERSALI IN SPIRITVALIBVS. Præterea talis ordo est inter Prælatos, sicut inter subditos. Sed spiritualia, quibus præest Papa, præstant corporalibus, quibus præest Imperator: ut anima spiritui: ERGO PAPA IMPERATORI PRÆEST. Præterea in domo Patris familias non debet esse nisi unum Caput, si domus est una. Si diceretur quod Caput Ecclesie non est Papa, sed Christus. Sed tamen videtur, quod universalitas Hierarchie Ecclesiastica melius regatur, si sit unus Princeps tantum respectu omnium, quam si sint duo æquales. Unde divisio inter Papam, & Imperatorem multum turbavit Ecclesiam. Unde videtur voluntas Christi, qui est Rector sapientissimus, quod non equaliter hi duo principentur, sed unus sub alio, quod absurdum esset dicere de Papa, quod scilicet subesset Imperatori. Videri etiam potest in tract. de causa innuendiata potestatis: art. 4. ubi eandem statuit sententiam.

5. Herveus Natalis citatur ab Illustrissimo Cardinali Perrochio ferè quasi nimium potestatem Pontificiam extollens; sed eam non minus efferunt plures alii Doctores Gallicani. Franciscus Mayronus in Schola Parisiensi Professor insignis ob inductum morem, ut qui Doctoris Lauream in Sorbona esset adepturus à sexta matutina, usque ad sextam vespertinam continuè argumentantibus responderet, cui tempori additæ sunt adhuc duæ horæ, in 4. lib. sent. dist. 19. quæst. 4. inter alia multa de summi Pontificis autoritate, hanc quartam

M. C
 de
 bertalib;
 de Gallicana
 Gall
 231

198 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
conclusionem ponit; Plenitudo potestatis secundum utramque jurisdictionem concurren in eandem personam. Hoc patet auctoritate Christi dicentis; Quodcumque ligaveris, &c. Dices forte quod verum est in spiritualibus sed tunc arguas. Quia in subordinatis quidquid potest inferior, potest & superior; sed Papa est superior ad Imperatorem: ergo, &c.

6. Petrus Bertrandi, aut, ut alii volunt, Durandus Episcopus Meldensis in tract. de orig. jurisdic. seu de Jurisdic. Ecclesiast. quæst. 3. hæreticos damnat eos, qui negant cognitionem de rebus temporalibus ratione peccati ad Ecclesiam spectare. Et sic, inquit, potest intelligi illud, quod habetur in Decretis dist. 21. c. 1. ubi dicitur, quod Christus commisit B. Petro jura Cælestissimi, & Terreni. Et qui hoc privilegium Romana Ecclesia detrahit, in hæresim labitur, & hæreticus est dicendus. Deinde pluribus explicat, & probat regimen temporale spiritualis directioni, & correctioni subesse.

7. Ipsimet Theologi, qui causam Principum adversus summos Pontifices propugnarunt, non absolutè, ac in omni casu potestatem Ecclesiasticam à temporalibus Regum excluderunt, ut animadvertere licet in illis ipsis opusculis quæ nuper in lucem revocata sunt sub titulo. *Vindicia doctrinae majorum*, &c. de quibus in libro nono. Nam Autor quæstionis disputatæ, quæ illic Egigio Romano, Archiepiscopo Biturienfi tribuitur art. 4. sic scribit; *causa mixta, sunt causa temporales, quæ connexionem quandam habent cum spiritualibus: sicut causa feudalis, quæ de se temporalis est, connexionem potest habere cum juramento, vel pacto; sicut patet de dissensione mota inter Reges Francia, & Anglia super Comitatu Pictaviensi: Papa quia non poterat directè cognoscere de causa feudali, indirectè ratione juramenti vel pacti intromisit se de illa, Extravagant. de iudiciis. cap. Novit. ubi dicit Hostiensis in Glossa super verbo de feudo; non intendimus cognoscere de feudo, sed tantum ratione pacti, inducendo illum ad penitentiam, quia illam non potest agere, nisi satisfaciatur. Item causa dotis per se temporalis est, & ad secularem Judicem pertinet, si de ipsa tantum agatur: tamen quando Judex Ecclesiasticus cognoscit principaliter de matrimonio, si incidat causa dotis tanquam accessoria cognoscet de illa, sicut de principali, cui est annexa, ut patet Extravag. de Donatio. inter virum, & uxorem, cap. de prudentia. Ubi dicit Glossa. Quia si non est matrimonium, neque dos, & ita dos accedet matrimonio: Ideo qui cognoscit de principali debet cognoscere de accessorio, ut habetur Extravag. de officio delegati cap. Præterea,*

& cap. prudentiam. Sic etiam de hereditate cognoscit Judex Ecclesiasticus ratione incidentis. Extravag. qui filii sunt legitimi, cap. Per tuus, & cap. Ex tenore. Alii sunt plures casus speciales, in quibus Judex Ecclesiasticus cognoscit de temporalibus, quos enumerat Hostiensis. In Glossa Extravag. de Judiciis cap. Novit. Sic ergo regulariter verum est, quod de causis merè spiritualibus solus Papa, & alii Judices Ecclesiastici habent cognoscere; de causis verò merè temporalibus habent cognoscere Reges, Imperatores, & alii Judices seculares. Et sic Rex Francia secundum jura non subest Summo Pontifici, nec ei tenetur respondere de feudo sui; POTEST TAMEN EI SVBIACERE INCIDENTER, ET CASVALITER RATIONE CONNEXIONIS ALIOVIUS CAUSÆ SPIRITVALIS, sicut habetur Extravag. de Judiciis cap. Novit. & Extravag. Qui filii sunt legitimi, cap. Per venerabilem.

8. Joannes de Parisiis, quem Cæsar Egassius Bulæus in hist. univ. Paris. tom. 4. ad annum 1303, pag. 61. dicit scripsisse pro Philippo IV. Rege Francorum adversus Bonifacium VIII. Papam, quantumvis Principibus faveat in Tractu de potestate Regia, & Papali, non potuit tamen aliquam in eos potestatem Pontificis non reservare his verbis cap. 14. Si esset hereticus & incorrigibilis & contemptor Ecclesiæ censura, POSSET PAPA ALIQUID FACERE IN POPVLO, VNDE PRIVARETVR ILLE SÆCVLARI HONORE, ET DEPONERETVR A POPVLO. Et hoc faceret Papa in Crimine Ecclesiastico, cujus cognitio ad ipsum pertinet, excommunicando scilicet omnes, qui ei, ut Domino obedirent; & sic Populus ipsum deponeret, & Papa per accidens. Auctoris Tractatus de utraque potestate sæculari & Ecclesiastica, qui somnium Viridarii inscribitur, verba capite sequenti referemus.

9. Joannes Gerfonius Doctor & Cancellarius Parisiensis tract. de potest. Eccl. considerat. 12. Potestas Ecclesiastica Papalis, inquit, non ita habet dominia, & jura terreni simul, & Cælestis Imperii, quod possit ad libitum suum de bonis Clericorum, & multò minus Laicorum dispo- nere, quanvis concedi debeat, quod habet in eis dominium quoddam regiti- vum, directivum, regulativum, & ordinativum. Et infra: Postremo suis terminis ita potestas Ecclesiastica se coerceat, ut meminert potestatem sæ- cularem etiam apud infideles sua habere propria jura, suas dignitates, suas le- ges, sua judicia, de quibus occupare se Ecclesiastica potestas non præsumat, vel usurpet, NISI DVM REDVNDAT ABVSVS POTESTATIS SÆ- CVLARI IN IMPVGNATIONEM FIDEI ET BLASPHEMIAM CREATORIS, ET IN MANIFESTAM ECCLESIASTICÆ POTESTA-

M. C.
de
hereticis
de gallicana
CIII
731

190 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
TIS INIVRIAM, tunc enim attendere convenit ultimam hujus consideratio-
nis 12. particulam, quod in his Ecclesiastica potestas habet dominium quod-
dam regitivum, directivum, ordinativum, & regulativum.

10. Jacobus Almain Doctor Parisiensis Ludovici XII. Regis
Franciæ, juxta Richerium defensor tract. de potestate Ecclesiastica,
& Laica cap. 9. Non dedit (Deus) potestatem (Petro) Laicos suis
proprietas, & dominiis privandi, NISI IN CASU, si contingeret Prin-
cipem secularem ab uti re sua in perniciem Christianitatis, vel fidei; ita quod
ille abusus esset in maximo nocimento pro consecutione felicitatis aeternæ. Non
negat quin in tali casu Papa possit eum deponere, etsi alii
Doctores hoc negent, qui tamen docent, Papam habere po-
testatem declarandi ipsum Principem esse deponendum. Et
q. 2. cap. 5. ad caput octavum Guilielmi Occam; Verantamen,
dicit Doctor, quod Papa potest Imperatorem deponere, in duobus casibus: Pri-
mus pro crimine purè spirituali, ut est heresis: Secundus quando illi ad quos
spectat jure ordinario sunt negligentes ipsum deponere. Unde dicit Doctor 3.
parte Dial. 2. lib. quod universaliter si negligat Judex secularis exercere juris-
dictionem laicam pro loco & tempore devolvitur potestas exercendi ad Judicem
Ecclesiasticum, &c. resolutio Doctoris in hoc argumento est cum apparentia,
quod nunquam potest Papa Principem secularem (seclusis suis vassallis) depo-
nere nisi in duobus casibus prædictis.

11. Joannes Major Doctor Parisiensis alter prædicti Re-
gis ex Richerio defensor in 4. sent. dist. 24. ad quartum argu-
mentum contra tertiam conclusionem; Si dicatur quod habet (Pa-
pa) Dominium in temporalibus casualiter, & quod multum potest agere ad
depositionem Regum suadendo, consultando, imò alios provocando in eos gla-
dio manuali; quando Reges sunt labefactores fidei, & Reipublica Christiana
totaliter inutiles: hoc mitius ferendum est, & NON ESSET REMOTA
OPINIO A DICTIS NOSTRIS.

CAPUT IX.

Eandem esse de illa Ecclesiæ potestate juris, tum Canonici, tum Civilis peritorum sententiam.

1. **J**uris præsertim Canonici Interpretes, aut tractatores Ecclesiasticam potestatem in temporalia Principum magis adhuc, quàm Theologi, explicuerunt. Ex quorum infinito propemodum numero paucos tantum Gallos profero.

2. Guilielmus Durandus Episcopus Mimatensis in specul. Jur. particula prima, tit. de Legato §. Nunc ostendendum, qui est 6. n. 17. de autoritate Papæ ita scribit; **DEPONIT IMPERATOREM PROPTER IPSIUS INIQUITATES**, ut Extravag. de re iudicata ad Apostolica lib. 6. & etiam Reges, ut 15. quest. 6. Alius. Et dat eis Curatores ubi ipsi sunt inutiles ad regendum. *Vi extra de suppl. neglig. Pralat. Grandi lib. 6. n. 32. Item ipse renovat leges Imperiales, ut in Constitutione Gregorii X. Properandum.*

3. Joannes Monachus è Gallia oriundus in cap. Grandi de supplen. neglig. Pralat. n. 4. sic scripsit; *Sed quid ad Papam de Regibus, & eorum Regnis? videtur immittere sulcem suam in messem alienam, quod esse non debet, supra de electio. venerabilem, in princip. sed dic quod Papa in quælibet habet jurisdictionem, NEC EST DUBIUM RATIONE PECCATI infra de iudiciis. Novit. & in spectantibus ad pacis reformationem 90. dist. per tot. &c. Vide etiam n. 5. In cap. autem ad Apostolicæ de sent. & re iudic. n. 9. notat, quod PAPA DEPONIT IMPERATOREM PROPTER CRIMEN: ut hic: Etiam PROPTER INVULNERATAM REGES DEPONIT 15. q. 6. Alius: Etiam ipsis Regibus malè administrantibus Coadutores & Coadministratores dat. supra hoc lib. de supplen. neglig. Pralat. Grandi. Ecclesia etiam Principes compellit exhibere justitiam 23. q. 5. administratores. Etiam jurisdictione utitur ex eorum negligentia sup. de foro compet. Ex tenore. Oportet enim ponere unum Principatum, ad quem omnes recurrant 6. q. 1. In apibus.*

4. Etiam à tempore dissidii inter Bonifacium VIII. & Philippum IV. Regem Franciæ, in quo maximè controversa fuit jurisdictio Ecclesiastica in temporalia Regum, non solum Doctores Ecclesiasticos, sed ipsos etiam Officiales Regios hanc

po-

192 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
potestatem confessos fuisse patet ex Tractatu de utraque potestate
saeculari & Ecclesiastica, qui somnium Viridarii est inscriptus, quem-
que alii Cancellario, alii Consiliario Caroli V. Regis Fran-
ciae tribuunt, & certè in favorem potestatis laicae scriptum
fuisse constat. In eo tractatu defensor autoritatis saecularis
sub nomine Militis sic loquitur; Concedendum est, quod Principa-
tus Papalis concernit temporalia prout de necessario concernit spiritualia, cum ab
eorum usu, vel abusu surgit peccatum, prout dicunt Textus, ratione peccati
omnes causa spectant ad forum Ecclesiasticum cap. novit. de iudiciis, & cap.
Per venerabilem qui filii sint legitimi. Tamen principaliter disponendo, & au-
torizando nihil spectat ad Papam quantum ad temporalia. Et alibi. Nec debet
se (Potestas Ecclesiastica) de depositione Imperatorum, seu Regum tempora-
lium intromittere, prout in prioribus plenius fuit dictum, quantumcumque Rex,
vel Imperator sit dignus depositione propter defectum quemcumque, vel crimen,
quod non est inter spiritualia crimina computandum. Et idè si Imperator, vel
Rex committit crimen dilapidationis, vel destructionis Imperii, seu Regni, aut
damnabilis negligentiae Imperii, vel Regni, vel Tyrannidis, vel quodcumque aliud
propter quod non immerito deponi meruit, Papa non deberet eum deponere, sed
populus à quo suam recipit potestatem tacite vel expresse; Excipit, nisi illi,
ad quos pertinet, nolent, aut non possent facere iustitiae complementum. Postea
adducens exempla Pontificum deponentium Imperatores, varia affert responsiones; & allatâ opinione improbantium
quod factum fuerat ab eis, addit; Farentur tamen quod Papa potest
transferre Imperium, vel Regnum casualiter, ut quia non est alius superior;
vel aliter aut Imperium, vel Regnum est transferendum de gente in gentem pro-
pter aliquod crimen spirituale gentis, puta si gens illa inficiatur haeretica pravitate;
vel ad legem Iudeorum, vel ritum Gentilium, vel sectam aliam converte-
retur, vel propter aliud simile, vel propter crimen saeculare, ut propter negli-
gentiam, aut defectum alium, propter quod etiam iudicio sapientium Gentilium,
vel Christianorum gens illa non esset digna alias gubernare. Si transferendum es-
set Imperium, vel Regnum propter crimen spirituale, dicunt quidem, quod
Papa potest iure Divino transferre Imperium, seu Regnum, quia ipse in spiri-
tualibus, & annexis eis habet plenitudinem potestatis quantum ad ea, quae sunt
de necessitate facienda. Alii dicunt, quod Papa in hoc casu non potest transferre
Imperium, sive Regnum nisi laici fuerint damnabiliter negligentes, vel sa-
ventes genti, à qua necesse est transferri Imperium, vel Regnum, sed in hoc
casu spectat ad Papam de crimine spirituali cognoscere, & denunciare illis,
ad quos spectat, ut ipsum deponant. Quod si noluerint, vel non potuerint.

JURE DIVINO EST DEVOLUTA POTESTAS AD SYMMVM PON-
TIFICEM: & hoc quia ipse habet plenitudinem potestatis quantum ad omnia,
qua sunt de necessitate facienda. Si verò Imperium transferendum esset de gente
in gentem propter crimen aliquod secularare, vel defectum alium, Papa authorita-
te propria talem translationem non posset facere, nisi illi, ad quos spectaret,
damnablem essent negligentes. Fatetur ergò Autor, & quidem fre-
quenter, Ecclesiam posse Principes deponere, saltem pro cri-
minibus spiritualibus, & etiam pro aliis culpis, si negligent
ii, ad quos jus illud spectat.

5. Joannes de Selve tract. de Benef. par. 3. quæst. 8. num.
31. ita censet, PAPA SOLVS POTEST DEPONERE IMPERA-
TOREM cap: Ad Apostolica de sent. & re judis. in 6. & no. doc. post. gloss. in
cap. Venerabilem de elect. & in Clement. Romani de jurejur. Præterea facit, quod
Papa potest deponere Regem, ut alias DEPOSVIT REGEM FRANCIAE,
quia erat effeminatus cap. Alius. 15. quæst. 6. Ita ille, licet in Se-
natu Parisiensi Præses.

6. Consentit, & ampliùs illam potestatem explicat in Se-
natu Tolosano Præses Stephanus Anfrerius tract. de potest.
Eccles. super laicis eorum, ac prærogatiuis Ecclesiæ, num. 32.
Facit, quod notat Baldus in c. Imperialem §. fin. 1. col. de prohib. feud.
alien. per feder. ubi dicit, quod si Dominus Feudi non recognoscit superiorem,
prout est Rex Francia, & Pares Curia ei nimis favent, Papa cognoscat. Sed
dictum hujusmodi debet intelligi in causa ardua, quia sic loquitur allegatum cap.
Per venerabilem num. 52. 113. Papa deponere potest Laicum a sua dignita-
te gloss. in cap. nullus 11. quæst. 1. 114. Papa potest absolvere Laicos Vas-
sallos a subjectione Principis temporalis cap. gravem de excess. Pralat. 115.
Papa ex causa potest absolvere aliquem ab obligatione quaestita Laico, qui ei non
subest quoad temporalem jurisdictionem, si talis obligatio solum contrahitur ex
fidei præstatione, ut in cap. 4. de jurejur.

7. Joannes Faber in Senatu Parisiensi Casuarum Patronus
in l. 1. Codicis de summ. Trinit. & fid. Cathol. num. 10.
sed de Papa, inquit, non est dubium, quin sit superior omnibus Christianis,
& in temporalibus, & in spiritualibus: ut plene probat Hostiensis dicto cap.
Per venerabilem verb. Paulus. Et idem Innocentius dicto cap. super verbo, non
recognoscit, quod aliter probari potest; nam cum Papa sit Vicarius Domini,
cujus est plenitudo, &c. & qui est Princeps Principum, & Rex Regum se-
cundum Apostolum in princ. & cui data est omnis potestas Matth. 7. ridiculo-
sum esset dicere quin in omnibus temporalibus haberet superioritatem, & po-
testa-

testatem 12. quest. 1. cap. precipimus. Et non. 11. Et cum omnis iurisdic-
 tio in Vicarium transeat extr. de offic. Vicar. quia infra de offic. eius, qui
 vic. alter. obtinet l. 1. Nusquam enim reperitur quod Dominus concedendo pa-
 testatem Petro restrinxit ad spiritualia. Nullus enim negare potest quin Jesus ha-
 beret omnimodam superioritatem si exercere voluisset, cum sit Creator, & sit
 Dominus. N. 12. Tamen satis credo quod Papa non se debeat introuertere de
 temporali iurisdictione. Imò debet tenere gladium in vagina: nisi in casibus qui
 tangunt præjudicium animæ, vel iustitia subuersionem, vel aliàs peccatum.
 Extr. de iudic. c. novit. de foro competen. &c. 13. In casibus tamen promissis
 cum agitur de præjudicio animæ, vel populi, PAPA POTEST, ET
 DEBET PROVIDERE: ET SI NECESSE SIT QVOSCVNQUE RE-
 GES DEPONERE, vel interdicerè eis administrationem, & ex minori cau-
 sa quam privato: Cum eorum sanitas vel malitia plus ledat. Extr. de suppl.
 neglig. Pralat. c. grandi per Archidiacon. & vide Imòc. dicto c. licet. Extr. de
 foro competen. 96. di. Cum ad verum Extr. de voto, & voti redem. c. li-
 cet in fin. Sic intellige, & determina quod no. in Authent. quomodo oport.
 Epif. & Cleric. in prim. coll.

8. Ut inter Theologos ita & inter Jurisperitos Catholicos
 usque ad hæc postrema tempora etiam qui iurisdictionem Ec-
 clesiæ super Reges, & Principes in temporalibus angustare
 conati sunt, eam omnino negare ausi non sunt. Petrus Gre-
 gorius Tholosanus in variis Academiis Franciæ successivè
 juris utriusque professor, de Repub. lib. 26. cap. 5. Quam-
 vis dicamus, inquit, Imperatorem posse privari tanquam inutilem suo Imperio
 per summum Pontificem, per Venerabilem de elect. & similit. Tamen non sequi-
 tur Papam idem ius habere in aliis Reges omnes; DEMO TAMEN CAU-
 SAM FIDEI. Et infra. EXCIPIO SEMPER, ut aliàs dixi, CAU-
 SAS FIDEI, IN QVIBVS PRINCIPES CIVISCVNQUE SINT
 LIBERTATIS, ET POTESTATIS SVBIIICIUNTUR DIRECTE
 SEDI ROMANÆ, & pro delictis in illis commissis puniri possunt. Sic
 tamen ut sicut delicta sunt personalia, & non transeunt personas delinquen-
 tes, ita nec poena, qua delicto debetur, non violet ius successorum in Reg-
 no, vel ex consuetudine recepta, vel ex lege Regni, qua proximi ordine post
 deficientes vocantur. Potest enim qui imperat per delictum suum sibi nocere, &
 se indignum Imperio facere, at non potest præjudicare ei qui successurus ei est
 etiam eo invito. cum non habeat ab eo, sed à maioribus vel ex lege fami-
 lia. Et oppositis sibi autoritatibus Innocentii IV. in Con-
 cilio Lugdunensi relato cap. 1. de homic. in 6, & Bo-
 ni.

C A P U T X.

*Exempla Potestatis Ecclesiasticæ circa Regna tempora-
lia, ac primò circa Reges Franciæ.*

1. Childericum III. Regem Galliæ, quantumvis ad Reg-
ni administrationem ineptum; non ante deposuerunt
Franci ut Pipinum sibi præficerent, quàm intervenisset Ro-
mani Pontificis autoritas. Id expressè tradit Eginhardus Ca-
roli Magni Secretarius in vita illius Imperatoris, his verbis
Genus Merovingorum, de qua Franci Reges sibi creare soliti erant usque in
Childericum Regem, qui jussu Stephani Romani Pontificis depositus, ac de-
tonsus, atque in Monasterium trusus est, durasse putatur. Pippinus
autem PER AYTORITATEM ROMANI PONTIFICIS ex Præfecto Pa-
latii Rex constitutus, &c. Et in annalibus ad annum 749. Burchar-
dus VVirtzburgensis Episcopus, & Totradus Presbyter Capellanus missi sunt
Romam ad Zachariam Papam, ut consulerent Papam DE CAUSA RE-
GVM, qui illo tempore fuerunt in Franciâ, qui nomen tantum Regis, sed
nullam potestatem Regiam habuerunt: per quos prædictus Pontifex mandavit
melius esse illum vocari Regem, apud quem summa potestatis consisteret, da-
taq; auctoritate sua jussit Pippinum Regem constitui. Et ad annum 750.
Hoc anno secundum Romani Pontificis sanctionem Pippinus Rex Francorum ap-
pellatus est, & ad hujus dignitatem honoris unctus sacra Unctione manu S. me-
morie Bonifacii Archiepiscopi, & Martyris, & more Francorum elevatus in
solum Regni, in Civitate Suessonia. Childericus vero, qui falso Regis nomine
sungebatur, tonsa capite in Monasterium missus est.

2. Eginhardi fidem cum dubiam efficere nequeat Joannes
Launoius, in restringendam Summi Pontificis autoritatem
semper intentus; quippè cum sciat illum Scriptorem & ma-
gnæ probitatis, & exactæ sinceritatis fuisse, ac rem paulò
antea gestam, atque ad eò sibi notissimam narrasse, vitam
Caroli ab eo scriptam corruptam fuisse contendit; Annalium
B b 2 autem

M. C.

certalib
de Gallian
CIII
231

autem verba multifariam versat, ut à proprio, & ut ita dicam, nativo sensu deflectat 6. par. Epist. 9. ac primò quidem affirmat contradictionem esse talem, quæ vix dilui possit inter loca vitæ Caroli Magni, & loca Annalium. Hæc contradictio, ni fallor, in eo esse illi visa est, quod in vita Caroli Magni Childerici destitutio. & institutio Pipini tribuantur Stephano Papæ, in Annalibus verò Zachariæ; sed mirum est quod vir adeò acutus non viderit, aut, qui sincerissimos Scriptores malæ fidei tam sæpè incusat, dissimularit, imaginariam illam contradictionem seipsâ evanescere, si verbis, quæ ipse retulit ex Libello *de Majoribus Domûs Regia*, addantur sequentia, quæ ipsæ omisit. Nam ex utrorumque conjunctione liquet, rem à Zacharia sub finem Pontificatus sui inchoatam, à Stephano ejus successore fuisse perfectam; aut à Zacharia per S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum factam, Stephanum per seipsum confirmasse. Hæc refert Launoïus; *His temporibus Hildricus in Regno Francorum substituitur, de quo Pipinus Dux Legatos ad Zachariam Papam dirigit interrogans eum; si ita manere deberent Reges Francorum, cum penè nullius essent potestatis, solo Regio nomine contenti. Quibus Legatis Romanus Pontifex respondit, illum debere Regem vocari, qui Rempublicam gereret. Detructo igitur Hildrico, & in Monasterium detructo mox Franci Pipinum sibi Regem constituunt; sequuntur autem ista; Hic enim rebellantes sibi omnes subegerat, Giphonem videlicet fratrem suum, Tassilonem quoque ex sorore Nepotem; quorum alterum Aufrasorum, alterum Baivariorum Ducem instituit. Denique Zacharia Pontifice defuncto, Stephanus succedit, qui in Franciam ad Pippinum urgente necessitate venit, eumq; ac duos filios ejus Karolum, & Karlmannum pariter sua benedictionis oleo perunxit. Rem ita, ut diximus gestam, contigisse testantur alii Scriptores infra referendi.*

3. Addit Launoïus Zachariam utpotè consultum, mentem suam aperuisse, ut Consultorum mos est, non autem potestatem interposuisse *Id, inquit, Eginhardi verba hæc (Pippinus more Francorum elevatus in solium Regni) omnino exigunt. Nam qui ante Hildricum, & Pippinum elevabantur in Regni solium autoritate Francorum, non Romani Pontificis elevabantur. At certè verba illa, more Francorum, neque omnino, neque ex parte exigunt consilium tantùm à Zacharia datum, Illorum enim sensus apertus est de Ceremoniis*

nisi in Regum elevatione observari solitis, non autem de electionis jure. Ac sicut ex iis concludi non debet, nec potest, Romanum Pontificem non fuisse consultum, licet is antea non fuisset *mos Francorum*; cum Eginhardus consultationis expressam faciat mentionem, ita inferri non debet, nec potest, Summum Pontificem consilio non adjunxisse auctoritatem, cum contrarium luculentissime testetur Eginhardus his verbis; *Jussu Stephani Romani Pontificis, per auctoritatem Romani Pontificis; dataq; auctoritate sua jussit Pippinum Regem constitui; secundum Romani Pontificis sanctionem Pippinus Rex Francorum appellatus est.* Ita scilicet delicata evaserat paucis abhinc annis Francorum conscientia, ut nomen Regis ei tribuere non auderent, qui Regiam auctoritatem jam erat adeptus, nisi Doctoris gravis opinione id sibi licere cognovissent.

4. De antiquiorum Franciæ Regum unctione, quam hic negat Launoius, viderint Franci quid censendum sit, qui ad miraculum in Clodovei primi Christiani Regis Francorum gratiam factum, ejus originem referunt: mihi verba Eginhardi supra relata Summi Pontificis auctoritatem satis videntur significare, etiamsi excluderetur Pippini unctio, quæ à Zacharia Pontifice per Bonifacium, & à Stephano per se ipsum facta narratur.

5. Testimonium Eginhardi, quod solum sufficeret, quia, ut supra innuimus, eo tempore vixit, quo rem narratam ignorare non potuit, & ea sinceritate scripsit, ut fides ei negari non debeat, confirmant Aymonius in lib. 4. de gest. Franc. cap. 61. Regino Prumiensis Abbas in lib. 2. Chronic. Marianus Scotus in lib. 3. Chronic. Otto Frisingensis in lib. 5. histor. cap. 21. Abbas Urspergensis in Chronico. Siebertus in Chronico ad annum 750. Paulus Æmilius in lib. histor. Franc. Fredegarius Scholasticus in fine Chronici. Guillelmus Nanguis in Chronographia manuscripta, Robertus Guaguinus in lib. 3. histor. Franc. Carolus Sigonius in lib. 3. histor. de Regn. Ital. quorum verba refert Launoius. Attamen ipse suo more tot testimoniis, aliorum quorundam silentium anteponit.

6. Imò illi unius Scriptoris silentium sufficit adversus affirmativa plurimorum testimonia. Sic enim in hac Epistola

de Anastasio, Regnum Childerico abrogatum & Francos Sacramenti Religione solutos tacente, scribit; De Anastasi, inquam silentio, quod si circumspectione, & accurata consideratione perpendatur, de falsitate rerum istarum dubitandi locum nullum relinquit. Quis enim prudens, & attentus crederet, virum Sedis Apostolicae magnitudini, & commodis addictum, & in Romanorum Pontificum scriniis versatum id commemorare, quod Gregorius VII. Otto Frisingensis, Abbas Urspergensis, Joannes Tritemius, & Recentiores alii tam cupide commemorant, neglexisse? Quis, inquam, prudens, & attentus hoc crederet, tum ex aliis, tum ex eo quoque, quod antea simile nihil in Romana contigisset Ecclesia? Igitur Anastasius non tam filet, quem eloquitur, non accidisse, quod illi accidisse narrant.

7. Sed in quodcunque latus se vertat Launoius tot, & tam insignia sunt testimonia, quæ summi Pontificis auctoritatem in Childerici destitutione, ac Pippini institutione intercessisse affirmant, ut lectis illis, etiam in ipsius Launoii Epistola, impossibile sit eis fidem non habere quantum ad rem ipsam, quamvis ille suo argumento negativo ab Autorum silentio petito, vel aliis conjecturis, aliquas circumstantias validè confutaret, quod facere sibi immeritò visus est.

8. Misera enim cavillatio, quæ verba illa, *mandatum, iussus, auctoritas*, & similia, quibus scriptores utuntur, cum de summi Pontificis ea in re partibus loquuntur, denotare tantum consilium, aut opinionem interpretatur, ex ipsorum locorum imperturbato mentis oculo, ac sine præpostero affectu lectorum, contextu dissolvitur. Præsertim si Autorum ipsorum conditio attendatur, cur enim v. g. Eginhardus, cum dixisset; *Pontifex mandavit, melius esse illum vocari Regem, apud quem summa potestatis consisteret*, quæ opinionem, & consilium abundè significassent, addidisset; *dataq; auctoritate sua iussit Pippinum Regem constitui*. quæ verba de potestate non possunt non intelligi, nisi fides historię hanc declarationem postulasset? An Eginhardi, jam à juventute in Aula Caroli Magni educati, intererat, cum hæc scriberet, summis Pontificibus ablandiri, vel eorum jurisdictionem ampliari in præjudicium Regum Francorum? An idem consilium fuit aliis scriptoribus Gallicanis tam multis?

9. An Sigibertus Gregorio VII. infensissimus, & Imperatoribus, quorum tempore scribebat, quorumque causa Pon-

tifi-

tificibus tam parùm æquus fuit, addictissimus, depositioni Henrici auctoritatem accersere ab exemplo Regum Franciæ non prætermisisset, si aut historiæ integritas, aut evidens rei gestæ veritas permisisset? An simplex Papæ consilium, seu responsum his verbis expressisset; Pippinus verò Princeps Apostolica auctoritate & Francorum electione à S. Bonifacio Moguntia Archiepiscopo in Regem ungitur, & consecratur. Ad annum 750. An qui falsa non pauca in favorem Imperatorum, vel à se excogitata, vel saltem à Testibus fide indignis accepta, narravit, tam incautè locutus fuisset, ut opinionem pareret à suo affectu longè alienam, si eam dubiam habuisset.

10. An Otto Frisingensis, tot Imperatoribus sanguine conjunctus, quos inter, & summos Pontifices altercationes intercesserunt, tam graves, tamque diuturnæ, ne Avi sui destitutionem à Gregorio VII. factam confirmaret, non abstinuisset verbis, quæ hanc summi Pontificis auctoritatem clarè denotant, si absque historiæ legum violatione potuisset; Anno inquit, ab Incarnatione Domini 752. reversus à Roma Nunciis auctoritate Zacharia Papa Pippinus à B. Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, aliisque Regni Principibus in Suesiona Civitate ad Regnum eligitur lib. 5. histor. cap. 22. Anno Domini 754. Pippinus à Stephano Papa I. à fidelitatis Sacramento, quod Hildrico promiserat cum aliis Regni Francorum Proceribus absolvitur, ac decesso Hildrico, & in Monasterium detruso postmodum in Regem ungitur. Ibidem cap. 23. Iterum in his verbis notare potes solutionem contradictionis, quæ à Launoio vocatur pugna, que vix dilui possit. Otto enim lucidissimè narrat Pippinum, & à Zacharia per Bonifacium Moguntinum, & à Stephano ipso unctum, ut dubitari non possit Eginhardum idem factum modò uni, modò alteri Pontifici non tribuisse, sed cuique suum.

11. Maximi ponderis est Ottonis testimonium, tum propter egregium viri meritum, tum propter accuratam in evolvendis historiis diligentiam, & in referendis fidem; Tum denique quia cum diu Parisiis versatus esset, sedulamque studio operam dedisset, facile fuit ei veritatem addiscere. Pro suo erga Henricum IV. Avum suum affectu legerat, & relegerat Imperatorum gesta, ut sciret, an antea fuisset aliquis à Romanis Pontificibus excommunicatus, & depositus, negatque

M. C.

de
certalib
de Gallian
GIII
236

200 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
gatque lib. 6. cap. 35 id antea factum in Romanorum Reges,
aut Imperatores, sed tantum Philippicum aliquandiu à Ro-
mano Pontifice inter Pœnitentes retentum, & Theodosium
ab Ecclesia exclusum à Beato Ambrosio. Quis igitur credat
cum temerè, ac sine examine recepisse illam de Regibus Fran-
corum historiam, quandoquidem ipse post verba relata paucis
interjectis subjungit; *Ex hoc Romani Pontifices Regna mutandi autori-
tatem trahunt. Putant rei ejusmodi originem sine discussione
admissam ab Ottone.*

12. Nonne Conradus Abbas Urspergensis, qui Grego-
rium IX. tam insolenter carpit, ut Frederico II. patrocine-
tur, suppressisset, si passa esset historiae veritas, quæ autori-
tatem Papæ in Principes tam apertè præ se ferunt. Ait enim
in Chronico ad annum 751. *Zacharias verò Papa super hujusmodi nego-
tio consultus remandavit melius esse illum vocari Regem, apud quem summa
potestas consisteret; dataque autoritate sua PIPPINVM REGEM CONSTI-
TVI IVSSIT. Anno Domini 752. Pippinus per autoritatem Zachariae Papa mox
Francorum electus ad Regnum per manus S. Bonifacii Archiepiscopi Moguntia-
censis elevatus est in Regni solium in Suevionum Civitate. Pippinus
ex Praefecto Palatii autoritate Apostolica sublimatus, & unctus in Sedem Reg-
ni postea regnavit annis quindecim, absolutus per Papam Stephanum à jura-
mento quod Regi Hilderico cum ceteris Regni Primoribus fecerat. Hic
rursus vide compositam pugnam, quæ vix dilui posse Launoio vi-
debatur.*

13. Autoritatem suam in omnibus dubiam efficit qui facta
adeò certa, & tot testimoniis comprobata negare, ut Lau-
noius, audet, ac impugare totis viribus enititur.

C A P U T X I.

Alia exempla potestatis Ecclesiasticae in temporalibus.

1. **I**mperatoriam dignitatem Carolo Magno à Leone III.
Papa collatam historici tum Græci, tum Latini, ac
præcipuè Gallici perhibent. Ipse autem (Carolus) inquit Egin-
hardus in Annalibus, scilicet ad annum 801 *cùm die sacratissima Na-
talis Domini ad Missarum solemniam Basilicam B. Petri Apostoli fuisset ingressus,*

Et coram Altari, ubi ad orationem se inclinaverat, assisteret Leo Papa Coronam capiti ejus imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante, Carolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum vita, & victoria; post quas laudes à Pontifice more antiquorum Principum adoratus est, ac deinde emisso Patrii nomine Imperator & Augustus appellatus. Ne quis autem putet Carolum quidem Imperatoriam dignitatem armis obtinuisse, à Leone autem ei Coronam tantum ex ceremonia, ut etiamnum in Gallia fit ab Archiepiscopo Remensi, fuisse impostam; scribit idem Eginhardus in vita illius Imperatoris, eum ab illo honore ambiendo ita fuisse alienum, ut si sibi deferendum praesentisset, abfuturus ab Ecclesia fuisset. Quo tempore, inquit, & Imperatoris, & Augusti nomen accepit: quod primo instantum aversatus est, ut affirmaret, se eo die quamvis praecipua festivitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si consilium Pontificis proficere potuisset.

2. Summo Pontifici acceptam retulerunt Imperatoriam dignitatem successores Caroli Magni. Egregium est hujus professionis testimonium apud Andream du Chesne tom. 3. scilicet Epistola apologerica Ludovici II. Imperatoris Occidentis, Lotharii filii, Ludovici Pii Nepotis ad Basilium Orientalem Imperatorem missa anno 871. in qua sic eum alloquitur; Cum & ipsi Patrum nostri gloriosi Reges absque invidia Imperatorem nos vocitent, & Imperatorem esse procul dubio satentur, non profecto ad aetatem, qua nobis majores sunt attendentes, sed ad unctionem, & sacrationem, qua PER SUMMI PONTIFICIS MANUS IMPOSITIONEM Divinitus sumus ad hoc culmen proventi, & ad Romani Principatus Imperium, quo superno manu potimur aspicientes. Matrem omnium Ecclesiarum Dei defendendam atque sublimandam suscepimus, ex qua & regnandi prius, & postmodum imperandi auctoritatem profapia nostra seminarium sumpsit. NAM FRANCORVM PRINCIPES PRIMO REGES, DEINDE VERO IMPERATORES DICTI SVNT, II DVMTAXAT, QUI A ROMANO PONTIFICE AD HOC OLEO SANCTO PERFVSI SVNT.

però si calumniaris Romanum Pontificem, quod gesserit, calumniari poteris & Samuël, quod spreto Saule, quem ipse unxerat, David in Regem ungere non renuerit.

3. Ad sanctam Sedem recurrerunt alii ad eandem impetrandam dignitatem, quæ ipsis ex sola sanguinis cum praecedentibus Imperatoribus propinquitate non debebatur, ut exem-

Cc plura

11. C
 21
 certalib
 de Gallian
 III
 731

202 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
plum Caroli Calvi demonstrat apud Sirmondum inter Concilia
Galliæ, & apud alios.

4. Fulco Archiepiscopus Remensis, natalibus, doctrinâ, ac
pictate celeberrimus, & à Reginone, Baronio, & Molano
Martyribus annumeratus, eo quod mors illi ob propugnata
Ecclesiæ jura illata fuerit (utrursus videas doctrinam istam
exemplis Sanctorum esse consonam) cùm audisset Carolum
Regem Francorum vulgò Simplicem nuncupatum, cui alias
strictè adhærebat, velle cum Northmannis inire societatem,
gravissimam ad eum Epistolam scripsit, in qua hæc habet in-
ter alia; *Deprecor vos itaque per Deum, ut tale desistatis consilium, ne
velitis vos in aeternum precipitare interitum, & mihi, ceterisque, qui secu-
dum Deum vobis fideles sunt, aeterni doloris asserre dispendium. Melius enim
fuerat vobis non nasci, quam Diaboli patrocinio velle regnare, & illos juvare,
quos deberetis per omnia impugnare. Sciat enim quia si hæc omnia feceritis,
& talibus consiliis atqueveritis, nunquam me fidelem habebitis, sed & quocun-
que potero a VESTRA FIDELITATE REVOCABO, & cum om-
nibus Coepiscopis meis, vos, & omnes vestros excommunicans aeterno anathemate
condemnavo. Pro fidelitate, quam vobis servo, hæc gemebundus scribo.*

5. Ivo Carnotensis Episcopus, doctrinâ, & pictate il-
lustri epist. 46. quæ est ad Urbanum II. supponit autoritatem
Philippo Primo Francorum Regi per excommunicationem
ademptam; quandoquidem scribit Summo illi Pontifici; *Hæc
ratione ex parte usuri (Philippi Nuncii) Regem cum Regno ab obedi-
entia vestra discessurum, NISI CORONAM RESTITVATIS, NISI RE-
GEM AB ANATHEMATE ABSOLVATIS.*

6. Unde inerat, nisi à pictate, atque à Religione, anti-
quis Gallis illa erga Ecclesiæ in Reges autoritatem reveren-
tia, quam illorum perhibent historiæ? Nam v. g. Regibus
excommunicatis officia etiam vitæ aliquatenus necessaria,
nedum alia Principibus exhiberi solita, negabant. An pios
magis, magisque religiosos efficiet illius Regni fideles de-
claratio Cœtus Parisiensis, dum eis suadebit Ecclesiam, ne-
que directè, neque indirectè quidquam in Principes posse
quantum ad temporalia, quæ sola ferè (Proh dolor) ab ho-
minibus hodie attenduntur.

7. Si Gallicanis externa addenda sunt exempla (quidni au-
tem addantur cùm propositio Cleri Gallicani ad Principes
om-

omnes generatim pertineat, nec sit ad Reges Galliae restricta (qui fortè aliquo jure speciali, vel privilegio tueri sese posse obtenderent) alia non pauca suppetunt. Nam præter Romanos Imperatores, de quibus jam diximus, mortuo Zenone Imperatore, Ariadne ejus conjux, spreto Longino Zenonis fratre, Anastasium ad Imperium evehendum curavit, sed obsticit Euphemius Episcopus Constantinopolitanus, donec Anastasius fidem orthodoxam scripto professus est; Cum Ariadne haberet in animo Anastasium habitu induere purpureo, Euphemius Episcopus usque eò consentire noluit, quoad Anastasius chirographum iurejurando confirmatum ei dedisset, quod planè declararet eum si sceptrum susciperet, Imperii fidem sinceram servaturum, nihilque rerum novarum introducturum in Sacrosanctum Dei Ecclesiam: quod chirographum Macedonio Sacri Theauri Custodi tradidit. Factum autem est illud ab Euphemio, quod Anastasius putabatur à nonnullis errore Manichæorum infectus esse. Evagrius histor. lib. 3. cap. 32. Idem Theodorus Lector collect. ex histor. Eccles. lib. 2.

8. Cumque iterum Anastasius in hæresim lapsus esset, & Catholicos persequeretur, ei sese Symmachus Papa opposuit, ut in Epistola ejus apologetica videre est, in qua docet Summus ille Pontifex, quis sit verborum sensus, quæ Prælati Parisienses ex Divo Paulo attulerunt; Fortassis dicturus es, scriptum esse: *Omni potestati nos subdites esse debere; Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas erigunt voluntates. Caterum si omnis potestas à Deo est, magis ergo qua rebus est præstituta Divinis. Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te. Caterum si tu Deo non deferas, non potes ejus uti privilegio, cujus iura contemnis.*

9. Eleonora primum Galliae, deinde Angliæ Regina Ep. 2. ad Celestinum III. Papam pro liberatione filii Richardi Regis Angliæ à Leopoldo Duce Austriæ capti, & Henrico V. Imperatori consignati, & traditi, quæ epistola est 145. Petri Blesensis, sic scribit, *Nomine Petro Apostolo, & in eo vobis à Deo omne Regnum, omnisque potestas regenda committitur? Benedictus autem Dominus, qui talem potestatem dedit hominibus, non Rex, non Imperator, aut Dux à jugo vestra jurisdictionis eximitur; ubi est ergo zelus Phinees? Ubi est autoritas Petri? Ubi est qui dicat zelus Domus tua comedit me? Appareat quod non in vanum dati sunt vobis, & Coepiscopis vestris gladii accipites in manibus vestris. Dicite iniquis, nolite iniquè agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu. Non*

204 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
degeneret in herede Petri Dignitatis Apostolica reverenda successio. Vestrum
agnoscite Principatum, probate zelum, accingimini ad opus fortitudinis, &
honorate ministerium vestrum. Gloria vestra derivetur ad posteros, & cognoscat
generatio altera, quam inaniter Tyrannus ille praesumpserit, & quam potentia
praesumptionem ejus Romana Sedes punierit.

C A P U T X I I.

*Exemplum Gregorii II. Leoni Isauro Imperatori Tributa
solvi vetantis.*

1. **L**eonis Isauro in haeresim Iconoclastarum lapsa, & Ca-
tholicos in Oriente persequenti, Gregorius II. plu-
ries frustra monito à Romanis, & ab Italia Tributum solvi
prohibuit ex Theophane in Chronologia. Hoc anno, inquit,
scilicet Gregorii II. primo irreligiosus Imperator Leo de proscribendis, & dep-
nendis Sanctis, & venerandis imaginibus primum tractatum habere cepit:
Comperto cujus proposito, Gregorius Papa Romanus, scripta prius ad ipsum
Leonem decretali Epistola, qua de fide quicquam statuere, & antiqua Eccl-
esiae sancita à sanctis Patribus firmata inovare, aut convellere non decere Im-
peratorem commonet. Italia tandem, ac Roma tributa ad ipsum deferenda
prohibuit. Idem testatur Zonaras in tom. 3. Annal. his verbis;
*Qua de causa Gregorius, qui tum Roma veteris Ecclesiam gubernabat, repu-
diata societate Praesidis nova Roma, nec non eorum, qui illum sequerentur,
illos unà cum Imperatore Synodico anathemate obstrinxit, & vestigalia, qua
ad id usque tempus inde pendebantur inhibuit, isto cum Francis federe. Et
adhuc; sub Leone Isauro temporis illius Papa Gregorius ob peruersam opi-
nionem desecit ab illo Imperatore impio, eiq; tributum pendere recusavit, ne-
que sibi quicquam esse rei voluit cum impiis Ecclesiae Constantinopolitanae Gu-
bernatoribus, omisissique bellis pacem cum Francis fecit.*

2. Nullum non movet lapidem Joannes Launoius, ut hu-
jus quoque historiae fidem evertet. Sed testibus tam clarè affir-
mantibus opponendi essent saltem alii testes aequè clarè ne-
gantes, aut certè rationes validissimæ. Id frustra expectes
ab illo Scriptore, qui cum historias communiter receptas ferè
semper impugnet, non nisi testium de eadem re tacentium,
vel ad summum alià, non tamen contrarià, loquentium au-
tori-

toritate, vel conjecturis ad dimittendam communem hominum sententiam parum potentibus, causam suam tuetur.

3. Ac primò quidem Zonaram confutat, ex eo quod ille scriptor dicat Gregorium II. *Synodico anathemate obstrinxisse Imperatorem*, nullum autem tunc habitum fuerit Concilium Romanum. Sed quis asserit nullum tunc temporis celebratum Concilium? Joannes Launoius; Vicinior scilicet Gregorio II. quàm Zonaras. At contemporanei scriptores de illo silent. Argumentum esset sanè multum verisimile adversus illum historicum, si ipse affirmaret, congregatam fuisse Synodum Oecumenicam, vel saltem totius Occidentis, vix enim fieri potuisset, ut ea de re nullum verbum reliqui Historici fecissent. Sed quis nesciat multa à summis Pontificibus fuisse gesta in Conciliis, quibus intererant tantum cum Clero Romano, Episcopi aliis de causis Romæ versantes, aut ex vicinis Civitatibus convocati, quorum quidem Conciliorum nulla supersunt Acta, nulla memoria, nisi in scriptoribus ferè solummodò ex occasione ea de re obiter tractantibus. Non pauca hujusmodi citantur in collectione Philippi Labbei.

4. Congerit deinde Launoius multa loca communia de officiis Regibus debitis, eisquæ à Romanis Pontificibus, aut ab Episcopis exhibitis. Sed hæc vera sunt, quandiu Principes Regi Regum bellum non indicunt, quandiu spes est emendationis, & quantum ad subditos, quibus non licet autoritate privata in Reges etiam discolos rebellare: secus autem est, dum summus Pontifex alio caret medio conservandæ Fidei, ac Religionis, ab aliquo Principe, Ecclesiæ per baptismum subdito, evertendæ.

5. Congerit etiam varias expositiones verborum illorum Christi ad Petrum; *Pasce oves meas*, quæ illa de potestate deponendorum Regum non interpretantur. At una scripturæ expositio aliis non contrariis, sed tantum distinctis, non destruitur. Si unus, populi consensum ad Regis institutionem, explicet de potestate juris inter subditos dicendi, alius de gerendo pro patria tuenda bello, alius de alia quapiam re, prout temporum, personarum, aut negotiorum conditiones exegerint. Numquid variæ illæ interpretationes obstabunt,

M. C.

28
 fortalib
 de Galliam
 Gill
 731

quominùs dum nova emerget occasio, intelligatur adhuc aliud in ea contentum autoritate, si ad bonum populi regimen sit omninò necessàrium? Suprema, & amplissima est, quantumvis eam invidi restringere conentur, summi Pontificis autoritas. Quid igitur mirum, si omnes ejus partes non fuerint statim, imò nec post longum tempus adèd clarè distinctæ: sed inter rerum Ecclesiasticarum tractatores hic unam, ille aliam explicuerit.

6. Improbat argumentum Bellarmini ductum à prædicto Evangelii loco. *Pasce oves meas*; Quod nimis probet, scilicet Episcopus etiam jus habere deponendorum Regum. Verùm injusta est reprehensio. Verba enim illa Petro soli dicta sunt, licet aliis etiam Pastoribus conveniant, quatenus Petri officio, ac Dignitati communicant. Sed quemadmodum ejus potestatis plenitudinem alii non assequuntur, ita non quidquid ille potest pro Ecclesiæ universæ bono, possunt illi, etiam in propriis Diocæsisbus. Idèd enim clavium, quæ omnibus Apostolis simul promissæ sunt, Petro soli specialis facta est promissio. Idèd illi soli dictum est; *Pasce oves meas*, ut ipsi prærogativa quædam cæteris negata concedi significaretur, ne scilicet summis, & maxime arduis negotiis sine ipsius supremo judicio finis imponeretur.

7. Refert exempla nonnullorum Pontificum, & Episcoporum, qui verba superscripta non opposuerunt Principibus, nec potestate usi sunt, quæ in illis contineri dicitur. Sed inde non colligitur defectus ille potestatis, cum variis de causis, puta scandali vitandi causa, ob impotentiam, ob populorum affectum, prudentia suadere potuerit ab illius usu abstinendum, ut confessus est ipsemet Imperator Henricus à Gregorio VII. depositus, de quo in sequenti capite redibit sermo. Malè autem inter illa exempla Hadrianum II. recenset. Licet enim Carolo Calvo non objecerit verba illa, *Pasce oves meas*. Intellexit tamen in Pontificia potestate, quam hæc verba significant, comprehendi jus aliquod in temporalia Regum, saltem ratione peccati, quandoquidem Principem illum ab invadendo Lotharii Regno, intentatis censuris cohibere conatus est.

8. Denique Launoius, ut confirmet quod ex Gregorii Episto-

Epistolis deduxerat, quarum antea proluxa exscripserat fragmenta, inutili labore confert plurimorum verba scriptorum, quos inter aliqui idem affirmant, quod Theophanes, & Zonaras, alii tacent, nullus planè negat. Itaque absurdum est ut jam suprà insinuavimus, claram, & apertam affirmationem solo silentio confutare. Præsertim cùm aliquorum ex illis, qui affirmant v. g. Theophanis, qui pro sacris Imaginibus exulare, ac Confessoris titulo donari meruit, & Sigeberti utpotè Principibus addictissimi testimonium minime suspectum haberi queat.

9. Quin, etiamsi Launoius testes adduceret expressè negantes quod asserunt alii, non obtineret quod intendit. Ut enim, ex Jurisperitorum doctrina, jura cum juribus, ita & testimonia cum testimoniis concilianda sunt, dum inter se pugnare videntur, nec insolubilis est contradictio. Hæc autem concordia in hoc casu facillima esset. Certum enim est, Gregorium II. omni pacifica ratione Imperatorem ad sanam fidem revocare conatum; atque de illo tempore intelligendi essent scriptores, qui negarent summum illum Pontificem Imperatori tributa non negasse, sicuti de illo intelliguntur, quæ scribit Gregorius ipse; qui autem affirmant prohibitam illam solutionem, interpretandi sunt de ultimo tempore, cùm scilicet constitit nullam spem esse Imperatoris convertendi. Itaque tota illa, quæ apparere posset contradictio unico illo Theophanis verbo, tandem, solveretur.

10. Caterùm quomodo potuit Launoius Gregorium II. tantis laudibus extollere, ut persuaderet ipsum non vetuisse solvi tributum Imperatori, & tamen interpretationem tam scandalosam istis ejus verbis affingere; *Testis est Deus, quasunque misisti ad nos Epistolas, auribus, cordibusque Regum Occidentis obtulimus, pacem illorum tibi, ac benevolentiam concilians, teque laudantes ac mirificè efferentes prout te antea conversantem intuebamur.* Quæ verba sic interpretatur Launoius, Gregorius verò II. Imperatoria jussioni subditum se cùm sentiret, dedit operam, ut missa ad se Leonis Isauri de subvertendis Imaginibus Epistola ad Occidentis Reges perferrentur, sed quia Epistola omnipotenti Deo minime concordabant, has quoad ejus fieri potuit, refutavit, & Leonem à nefario consilio deterruit. Huc & non alio spectant Gregorii Epistola verba, quæ proposuimus. Quis credat Epistolas, quas Gregorius non solum

AUI-

auribus, sed etiam *cordibus Regum Occidentis* obtulerat de subvertendis imaginibus tractasse. Si is fuisset illarum scopus, non potuisset eas Gregorius, *auribus*, multò minus *cordibus Regum* offerre. Hoc enim fuisset impiæ Imperatoris intentioni in re de se mala cooperari. Cur potius illæ litteræ non intelligantur, quas scripsisset Imperator ad conciliandam sibi, aut retinendam Principum Occidentalium pacem. Id enim satis innuunt illa Pontificis verba; *pacem illorum tibi, ac benevolentiam concilians*, & alia multa quæ sequuntur. Secundo si Epistolæ Leonis à Gregorio missæ ad alios Principes, de subvertendis imaginibus fuissent, eas misisset, ut hortaretur illos ad revocandum à nefario consilio Imperatorem, non autem, ut ait Launoius quod *Imperatoria iussioni subditum se sentiret*. Quis enim in tanto scelere Summum Pontificem Principi subditum existimet? Cur non exhorruit Launoius hæc scribens?

II. Frustrà verò adducit exemplum S. Gregorii Magni, Legem Maurittii per diversas partes perferri curantis; sunt enim inter ejus, & quod Gregorio II. à Launoio tribuitur, factum, plurima discrimina, quæ persequi, & nimis esset longum, & à proposito nos longius averteret. Id unum, notasse sufficiet legem Maurittii non extitisse de re ita mala, ut nullo pacto posset ab ea separari malitia: erat enim ad summum majori bono, scilicet libero in Religionem ingressui obex. Ac præterea S. Gregorius Magnus huic incommodo suâ prudentiâ poterat occurrere. At verò sacrarum imaginum conculcatio ita est impia, ut nullâ ratione liceat *auribus & cordibus Regum offerre Epistolas* hujusmodi contemptum suadentes. Denique multi Scriptores graves asserunt S. Gregorium Magnum non nisi correctas Maurittii leges misisse, idque videtur ex variis ejus epistolis colligi.

CAPUT XIII.

Principes ipsos aliquam Ecclesie in temporalia potestatem agnovisse.

1. DE illa Summi Pontificis autoritate non dubitabant Principes, de quibus in Capitibus superioribus. Non dubitabant etiam Ludovicus Germaniæ, & Lotharius II. Austrasiæ Reges, cum Carolus Calvus Ludovici frater, & Lotharii Patruus pactis inter ipsos conventis stare recusans, de invasione aliorum Regnorum cogitabat. Illi enim ad Nicolaum Primum confugerunt, ut ejus autoritate hoc damnum propulsari curarent; Oportet præterea, inquit, vestra autoritatis jubar propter generalem sollicitudinem nostros invisere fines, ut, quos nulla pacis fœdera, nulla movent fraternæ charitatis viscera, nulla neclunt consanguinitatis ligamenta, APOSTOLICA INVECTIO AD CENSURAM ECCLESIASTICAM VENIRE COMPELLAT. Omitto quæ referunt Historici Gallicani de Philippo II. Anglorum Regi, à cujus obedientia subditos absolverat Romanus Pontifex, bellum indicente, atque Othonem Imperatorem à Papa depomi procurante, & de Philippo III. Petro Aragoniæ Regi, à cujus obedientia subditos exemerat Martinus IV. etiam bellum inferente.

2. Justinus II. Imperator Cosrohæ conquerenti de receptis Persarum Christianis ab eo sese subducentibus; Quoniam, ut ait Evagrius, qui rem narrat lib. 5. cap. 7. à cæteris Persis miserè, & potissimum Religionis suæ gratia vexabantur, justam putavit excusationem afferre cum respondit; Præfinitum paci tempus effluxisse, nec fas esse ut Christiani Christianos in tempore belli ad se confugientes desertos esse patiantur. Quid igitur? nonne melius est ut fideles Principibus non se subtrahant, etiamsi justam habeant causam (ut si Religionis suæ gratia vexati Christiani ad Christianos confugiant) nisi accedente Ecclesiæ autoritate?

3. Sed nunquid ita sentiunt Principes tunc tantum, quando illa potestas Ecclesiastica sibi commoda est. Henricus licet irâ, ne dicam furore, correptus, adversus Gregorium VII. cui

D d

cui

210 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
cui scribit, fatetur se in causa hæreseos Ecclesiæ subiacere;
Hæc sunt ejus verba; *Henricus non usurpativè sed piâ Dei ordinatione
Rex Hildebrando non jam Apostolico, sed falso Monacho. . . . me quoque,
licet indignus inter Christianos sum, ad Regnum vocatus, te teste, quem
sanctorum Patrum traditio soli Deo judicandum docuit, nec pro aliquo crimine,
nisi à fide (quod absit) exorbitaverim, deponendum asseruit, &c.* Deinde
notat Julianum Imperatorem licet Apostatam ab Episcopis
non fuisse depositum, quod eorum prudentiæ, non potesta-
tis defectui tribuit; *Cum etiam Julianum Apostatam prudentia sancto-
rum Episcoporum non sibi, sed soli Deo deponendum commiserit.*

4. Atque ea ratio sufficeret ad vindicandam Ecclesiæ suam
autoritatem adversus illius non usum, quem aliqui objiciunt,
negantes ullam ejus fuisse praxim per multa sæcula. Id enim
prudentiæ seu benignitati piæ illius matris, non autoritatis
defectui, adscribendum esset. Aded periculosa est Sacerdotii
cum Imperio contentio, ut, illius vitandæ causa, multa ma-
la minora sæpè sustinenda sint.

5. Hæc, ut opinor, sufficiunt, ut unusquisque pervideat non
solum non necessariam fuisse hoc tempore declarationem Cleri
Gallicani circa istam Ecclesiæ potestatem, quippè cum ne mi-
nimum quidem esset periculum, ne summus Pontifex ea ute-
retur; sed etiam plurimorum Conciliorum praxi, sanctorum
Patrum, & Doctorum, Theologorum, & Jurisperitorum
doctrinæ, Principum, eorumque Officialium professioni con-
trariam, ut iterum mirer ausos fuisse Illustrissimos Episcopos
Cætus Parisiensis eam negare, suamque sententiam *verbo Dei,
Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis consonam* declarare.

6. Opportuna fortassis fuisset hæc doctrina Cleri Gallicani,
etsi (absit verbo injuria) minus vera, cum Christiani, martyrii
desiderio incensi, ejus occasiones avidè quærebant; At nunc
ita refrixit charitas, ut si, quod Deus Optimus Maximus aver-
tat, oriretur persecutio, maxima futura esset Religionis ruina.
Si enim tam multi injustis potentium desideriis obsequuntur,
ne illorum favore priventur, aut in aliqua temporalia damna
incurrant: quid foret Principibus certam mortem intentanti-
bus? Nonne Deus Christianorum debilitati consuluisse existi-
mandus est, qui, ne Judæi à vera Religione averterentur, vetue-
rat, ne ipsis Rex infidelis præficeretur, Deuteronom. 17. vers. 18.

7. Nol-

7. Nescio an hodie pro Religione omnes Episcopi Gallia B. Martini Episcopi pro disciplina constantiam imitarentur, de quo ita scripsit S. Severus Bituric. Archiep. in vita B. Martini cap. 23. Atque ut minora tantis inseram (quamvis ut est nostrorum aetas temporum, quibus jam depravata omnia, atque corrupta sunt pœnè præcipuum sit adulationi Regia Sacerdotalem non cecidisse constantiam) cum ad Imperat. Maximum ferocis ingenii virum & bellorum civilium victoria elatum plures ex diversis partibus Episcopi convenissent, & sæda circa Principem omnium adulatio notaretur, sequæ degeneri inconstantia, Regia Clientela, Sacerdotalis dignitas subdidisset, in solo Martino Apostolica autoritas permanebat. Nam etsi pro aliquibus supplicandum Regi fuit, imperavit potius quam rogavit.

8. Nescio an multi ex aliis ordinibus cum Divo Joanne Damasceno de sacris Imaginibus orat. 1. sub principium, verè dicerent; Nec veritati Regiam amplitudinem prætulit. Loquebar enim, inquit Divinus ille pater David in conspectu Regum, & non confundebat. Quin etiam ob id magis sum incitatus. Nam ad subjectos populos decipiendos multum valet Regis autoritas. Pauci enim, nimirum illi qui terrarum Reges Cælestis Regis Imperio gubernari, & leges debere Regibus imperare sciunt, iniqua eorum jussa negligunt, & aspernantur. Et sub finem ejusd. orat. Regio non cedemus imperio patrum conanti evertere consuetudinem. Neque enim piorum est Regum Ecclesiastica instituta convellere; his de rebus statuere, atque decernere NON AD REGES pertinet, sed ad Concilia; Nam ubi duo, vel tres, inquit Dominus, congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio ipsorum. Ligandi, solvendi-que potestatem NON REGIBVS, sed Apostolis & eorum Successoribus Pastoribus, & Doctoribus Christus dedit.

10. Si penes Rempublicam manet jus aliquando Principatum transferendi, ut manere fatendum est, nisi multos Principes Tyrannidis reos facias, quænam occurrere justior ratio potest eo jure utendi, quàm ubi regimen temporale ab æterna sælicitate avertit, ad quam referenda est pax, & tranquillitas civilis, qui proximus est Principatûs sæcularis finis? Id autem cum contingit, nonne & Principum severitati, & subditorum saluti omninò necessarium est, ut à fidelitatis juramento absolutio petatur, sicut ab aliis?

11. Cum autem mutua sit Principum, & subditorum obligatio ad exequenda pacta in institutione Regni conventa, nonne justa erit causa, ut Ecclesia præstitæ fidei vinculo

212 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
eximat subditos; si Princeps contra datam fidem eos in ve-
ra Religionis custodia servandi, à vera Religione deter-
reat?

C A P U T X I V.

*An sententia Illustrissimorum Episcoporum Gallia Sancto-
rum exemplis consona sit?*

1. **S**ententiam suam Illustrissimi Antistites Gallicani etiam
Stanquam Sanctorum exemplis consonam omninò reti-
nendam, declarant. Omnibus sanè Christianis veneranda sunt
Sanctorum gesta; imò plerumque imitanda. Ided enim præ-
ter alias causas publico cultui proponuntur, quæ eorum vi-
ta est quasi animata Evangelii interpretatio, quæ nobis, &
quomodo Christi verba sint accipienda, & quomodo secun-
da vestigia, demonstrat. Ad eam nos sæpè sancti Patres re-
mittunt. Ità S. Augustinus de verbis Domini in Evang. se-
cundùm Matth. ser. 18. cap. 20. *Attendite, inquit, in facta
Sanctorum, ne forè nostra videatur interpretatio. Quomodo hæc verba intellere-
runt sancti, sic utique intelligenda sunt.* Et cap. 21. *Videamus si hoc ipsi
fecerunt.* Quæ Spiritus sanctus per os Sanctorum locutus, id per
Sanctorum actiones est executus. Sicut illi Christum imitati
sunt, ità nos ad ipsorum imitationem invitamur; *Imitatores mei
estote, sicut & ego Christi,* clamat B. Paulus 1. Corint. 11.

2. Quæ sunt autem illa Sanctorum exempla, quibus senten-
tia Comitiorum Cleri Gallicani consona dicitur? Per exem-
pla non actiones Sanctorum, sed omissiones intelligi puto.
Fatendum est enim aliquos ex Sanctis Tyrannos Ecclesiam per-
sequentes non deposuisse, nec alià ratione potestatem Eccle-
siasticam in temporalia Principum exercuisse. Verùm cum
illa omisso ex variis causis, ac circumstantiis procedere potue-
rit, puta ex impotentia Ecclesiæ, ex metu majoris mali, &c.
ex ea juxta legitimas ratiocinandi regulas universim concludi
nequit, id jure nunquam fieri posse, quod aliquoties à Sanctis
quibusdam omisso sit.

3. Quemadmodum in Testimoniis unus Testis affirmans,
cen-

centum negantibus, ut vulgò dicitur, plerumque preferendus est; validiusque animus Judicis inducitur ad credendum rem aliquam gestam esse, ex eo quod unus se illam vidisse asserat, quam si centum, præsertim ab eo loco, vel eo tempore, quo gesta supponitur, absentes contrarium jurent: ita multò gravioris ponderis erit aliquorum Sanctorum, Principes Ecclesiæ per Christianæ fidei professionem subditos à persequendis fidelibus, & opprimenda Ecclesia, etiam subtractâ potestate temporalis cohibentium, quàm aliorum illas injurias ferentium, & Christianos vel ad patientiam promptos Martyrii gloriâ privare, vel debiles in crudeliorum suppliciorum, aliorumve malorum discrimina certiora conjicere nolentium.

4. Ad eò celebris, & conspicua est vita multorum ex iis, quorum doctrinam, vel etiam exempla declarationi Episcoporum Gallicanorum opposuimus, ut sacrilegus habendus sit, & blasphemus, qui eos à Sanctorum albo expungere tentaverit. Sed fortassè non eadem religione prosequendi aliquibus videntur illi Pontifices, qui supradictò jure usi sunt majori cum autoritate ac constantiâ. Verum id ad minùs veritatis evidentia etiam à suspectis Judicibus extorqueat; plura scilicet cluxisse tum per vitam, tum post mortem sanctitatis indicia in illis Pontificibus, quàm in Principibus, quibus eum illis res fuit: nisi fortè vitam, moresque Imperatoris Henrici v. g. sanctiores quisquam existimet, quàm Gregorii VII. eum deponentis; judicetque istum à Sanctorum Cathalogo delendum, ut reponatur ille.

5. Nescio quo in Martyrologio recitentur nomina, vel in qua Ecclesia solemne officium celebretur Principum illorum, à quorum obedientiâ subditi per Ecclesiasticam sententiam exempti fuerunt. Legi autem in Martyrologio Romano die 13. Februarii; *Roma S. Gregorii Papa II. qui Leonis Isaurici impietati acerrimè resistit.* Item in appendice Adonis Archiepiscopi Viennensis: *Natalis Gregorii Papa II. qui rexit Ecclesiam annos 16. Leonis Constantin. temporibus: hic vir castus, in Divinis Scripturis eruditus, &c.*

6. Legi pariter in Martyrologio Romano die 15. Martii; *Roma Natalis S. Zachariae Papa, qui Dei Ecclesiam summâ vigiliantia gubernavit, & clavis meritis quievit in pace.* Apud Adonem Archiepiscopum Viennensem; *Roma Zachariae Pontificis, qui Roma sedit annos 10.*

M. C.

certatibz
de gallican
CIII
731

7. Legi etiam in Martyrologio Romano die 25. Octobris; Salerni depositio. S. Gregorii Papæ VII. Ecclesiastica libertatis propugnatoris, ac defensoris acerrimi. Extant etiam alibi sanctitatis ejus testimonia. Lambertus Schafnaburgensis de rebus German. ita de illo scribit; Nam & Papa tam eximie tamq. Apostolicè vitam instituebat, ut nec miramam sinistri rumoris maculam conversationis ejus subtilitas admittiret, & illa in urbe celeberrima; atque in tanta obsequentium frequentia obscurum aliquid perpetrans, latere nequaquam potuisset. Presbyter Penitentiarius sancti Anselmi Episcopi Lucensis in ejus vita de mitrà ejusdem Gregorii VII. ait; Præclara quadam fecit Deus per eandem mitram mirabilia. Inter alia enim Reverendissimus D. Ubaldu Mantuanus scilicet Episcopus, multis jam annis gravissimè Spleneticus toto corpore ulceratus, præsertim cruribus, sic ut vix quomodolibet stare posset, vix etiam jacere, vel sedere; qui & multa in Medicos erogaverat, nihilq. profecerat; appositâ eadem mitrà, ubi major ingruerat dolor, pristina redditus est sanitati. In Chronic. Cassinens. lib. 3. cap. 54. refertur Joannem quemdam vidisse Columbam in dextro humero Gregorii VII. Missam celebrantis, eiq. præceptum; Vade quancocius auribus Papæ hoc ipsum intimato; ut constanter vigore sancti Spiritus ceptum opus peragat.

8. In Breviario Romano ad usum Cleri Basilicæ Vaticanæ habetur. Die 12. Junii S. Leonis III. Papæ & Confessoris officium duplex, cujus lectio 6. sic incipit; Cum ab impiis emittis oculis, & confossus vulneribus semivivus relictus fuisset, postmodum per insignè miraculum sanus inventus est, iisdemque parricidis vitam suis precibus obtinuit. Carolo Magno Francorum Regi Romanum Imperium detulit. Die autem 13. Februarii S. Gregorii II. Papæ & Confessoris officium item duplex.

9. Eadem ratione confirmari posset longè gravioris esse ponderis ob vitæ sanctimoniam, aliorum Pontificum auctoritatem, qui Sedis Apostolicæ in aliis Capitibus per declarationem Illustrissimorum Antistitum Gallicanorum impetitus defenderunt, quàm Episcoporum, aut aliorum illa impugnantium.